DE VNITATIBVS ET LOCI ET TEMPORIS IN NOVA COMOEDIA OBSERVATIS

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IN VNIVERSITATE LITTERARVM VIADRINA VRATISLAVIENSI RITE CAPESSENDOS DIE XXX MENSIS IVLII ANNI MCMIX HORA XI IN AVLA MVSICA VNA CVM THSESIBVS PVBLICE DEFENDET

AEMILIVS POLCZYK

SILESIVS

ADVERSARII ERVNT

H. MARKOWSKI, DR. PHIL.

G. PIETSCH, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS R. NISCHKOWSKY

MCMIX

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Franciscus Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die XXVII mensis Februarii.

FRANCISCO SKVTSCH

PIO GRATOQVE ANIMO.

Quaerenti quomodo factum sit, ut poetae scaenici Graeci in fabulis suis unum diem et locum tenerent, respondendum erit illos cum aliis scaenicis[1]) rebus tum maxime choro ad unitates illas et temporis et loci observandas adductos esse. Cum enim pars potissima fabulae chorus esset — primo chorus solus fuit, deinde accessit dialogus — poetas in componendis fabulis maxime ad eum respexisse perspicuum est. Cui mirum esse videtur, quod unum locum et, cum temporis mutatio arte coniuncta sit cum loci mutatione, unum diem tenebant, quoniam si scaenam mutavissent etiam locus a choro occupatus mutandus erat? Praesentia ipsa chori poetas coegit continuam neque interruptam actionem efficere[2]). Sane quidem chorus praecipue in comoedia paulatim a scaena discessit et in nova comoedia chorum plane ab actione solutum esse[3]) videmus. Nihilo setius poetae unitates illas retinebant, quas observatas etiam apud Romanos poetas scaenicos, Graecorum in hac arte imitatores, invenimus[4]).

---

[1]) Cf. Bernhardy, Grundr. d. griech. Literat. II 2, p. 158. — G. Freytag, Die Technik des Dramas, p. 24, adnot.

[2]) Cf. Bergk, Griech. Literaturgesch. III p. 202. — Lessing, Hamburg. Dramat. 46. Stück. — Aug. Wilh. v. Schlegel, Vorles. über dram. Kunst und Literat., Heidelberg, 1809, 9. Vorles.

[3]) In fragmentis Menandri et in papyro Ghorânica (Bull. Corr. Hell. XXX 1906, p. 103 sq.) nonnullis locis verbum χοροῦ legimus. Id spectat ad chorum exstantem et docet eum non plane evanuisse, sed cum chorus nihil aliud nisi κῶμος sit, ad actionem nihil valet. Cf. Körte, Hermes 43 (1908), p. 299. Leo, Der Monolog im Drama, Nach. d. Gött. Ges. N. F. Bd. X, 5, p. 43 sq., E. Bethe, Der Chor bei Menander, Ber. d. Königl. Sächs. Ges. d. Wiss. zu Leipzig LX (1908), p. 209—225.

[4]) Bergk, Griech. Literaturgesch. III, p. 203: „Dagegen die mittlere und ebenso die neuere Komödie, obwohl sie durch den Wegfall de Chores vollkommen freie Bewegung gewonnen hatte, scheint doch von dem Wechsel der Zeit und des Ortes nach dem Vorgange der Tragödie nur sehr mäßigen Gebrauch gemacht zu haben."

Consentaneum est poetas in unitatibus illis observandis artificia adhibuisse, ut quam maxime possent legibus illis parerent. Qua necessitate coacti non mirum est, quod saepe speciem rei factae perturbant. Quomodo id in tragoedia appareat, Guil. Felsch accurate demonstravit[1]). Hoc loco disquirere mihi in animo est, quibus artificiis adhibitis in fabulis Plauti Terentii Menandri[2]) et temporis et loci unitates observatae sint[3]).

Sed priusquam ad rem ipsam accedam, videtur antea quaerendum esse, utrum poetae illi re vera unitates illas observaverint necne, ut certa fundamenta huius quaestionis ponantur.

Caput I.

Utrum poetae novae comoediae unitates illas et loci et temporis observaverint necne.

Ut a Plauti fabulis ordiamur, in Amphitruone Mercurius postquam Sosiam domo expulit, spectatoribus quae usque ad

---

1) Quibus artificiis adhibitis poetae tragici Graeci unitates illas et temporis et loci observaverint. Bresl. Philol. Abhandl., herausgeg. von Richard Förster, 9. Bd., 4. Heft, 1907.

2) Ut de Menandro aliquid perspicere possimus, factum est eis fragmentis, quae in papyris Aegyptiis inventa sunt. Eorum quae usque ad a. 1906 nota erant, collegit Alfr. Kretschmar, De Menandri reliquiis nuper repertis, Lipsiae, 1906 diss. Verum fragmentis demum a Lefeburio repertis fieri potest, ut de totis fabulis Menandri aliquid sciri possit. Fragmenta ediderunt: M. G. Lefebvre, Fragments d'un manuscrit de Ménandre, Le Caire 1907. J. v. Leeuwen, Menandri quatuor fabularum Herois Disceptantium Circumtonsae Samiae fragmenta nuper reperta, Lugduni Batavorum 1908, ed. alt. 1908. Karl Robert, Szenen aus Menanders Komödien, Berlin 1908. Idem, Der neue Menander, Berlin 1908. Novissimum fragmentum Periceiromenae nuper edidit A. Körte, Zwei neue Blätter der Perikeiromene, Ber. d. Sächs. Gesch. d. Wiss. LX (1908), p. 145—175. Commentationes, quae adhuc de his fragmentis apparuerunt, enumeraverunt Nicola Terzaghi in Atene e Roma, Aprile 1908, N. 112, p. 100 sq.; Robert, Der neue Menander, p. 129; Körte, Zu dem Menander-Papyrus in Kairo, Ber. d. Sächs. Ges. d. Wiss. LX (1908), p. 87 not. 2. Accedunt Leo, Weitere Beiträge zu Menander, Nachr. d. K. Ges. d. Wiss. zu Gött., phil.-hist. Klasse, 1908; Robert, Bemerkungen zur Perikeiromene des Menander, Hermes 44 (1909), p. 260—303; H. v. Arnim, Zu Menanders Perikeicomene, Zeitschr. f. d. Österr. Gymn. 1909, p. 1 sq.

3) Hac in re quaerenda etiam oculos conieci in quaestionem solvendam, quae fabulae contaminatae sint, quae non sint. Sed frustra operam dedi; argumenta, quibus aliquid praeter res dudum a Langeno, Leone, Dziatzkone, aliis explicatas enucleari posset, invenire non potui. Ac ne in illis quidem fabulis contaminatione quicquam illatum esse vidi, quo unitas aut loci aut temporis perturbaretur.

finem fabulae futura sint enarrans cum alia tum haec dicit (v. 479—480):

nunc de Alcumena dudum quod dixi minus,
hodie illa pariet filios geminos duos.

In extrema fabulae parte Alcumenam geminos peperisse re vera comperimus. Qua ex re cognosci potest actionem etiam hoc die ad finem perduci poetam voluisse, id quod etiam e fabula ipsa clare apparet. De unitate loci non multa verba facienda sunt. Agitur fabula Thebis (v. 190, 194, 259 et persaepe) ante aedes Amphitruonis. Cum hac in fabula tum in omnibus fabulis idem locus tenetur. Nam per totam comoediam videmus personas semper in easdem aedes intrare et ex eisdem exire. Id quidem tam apertum est, ut argumentando supersedere possimus. Itaque de reliquis fabulis satis erit dicere, qualis scaena sit. Plerumque actio peragitur in platea; in scaenae fronte spectantur aut duae aut tres domus[1]). Sed mirum est, quod poeta hac in fabula Thebas portum non procul ab urbe situm haberi voluit[2]). Asinaria fabula a colloquio inter Demaenetum et Libanum habito, quo Libanus viginti minas comparare iubetur, initium capit. Libanus de scaena decedit et post v. 248 his verbis usus redit (v. 249—253):

Hercle uero, Libane, nunc te meliust expergiscier
atque argento comparando fingere fallaciam.
iam diu est factum quom discesti ab ero atque abiisti ad forum,
igitur inueniundo argento ut fingeres fallaciam.
ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.

Licet igitur concludere actionem ante meridiem incipere et Libano redeunte partem diei iam praeterisse. Tota reliqua actio fit post meridiem, sed etiam ante solem occasum, quoniam in extrema parte fabulae Demaenetus uxorem quae eum e ganea abducere volt, his verbis orat (v. 935):

non licet manere (cena coquitur) dum cenem[3]) modo?

---

[1]) De ea, quae est in omnibus fabulis, scaena, quae necessaria sunt, composuit etiam G. Hahn, Scaenicae quaestiones Plautinae, Gryphisw., 1867 diss.

[2]) Quo exemplo clare intellegitur, quo poeta consuetudine scaenica feratur. Quia scaena exitum et in portum et in forum habet, poeta permultas fabulas ita instructas respiciens hac quoque in fabula portum esse voluit. Cf. Dietze, De Philemone comico, diss. Gotting. 1901, p. 74, qui similiter sentit, et Langen, Plaut. Stud. Berlin 1886, p. 95.

[3]) Romanos prandium sub meridiem, cenam sub vesperum, eodem tempore Graecos τὸ ἄριστον et τὸ δεῖπνον cepisse notum est. Cf. hac de re

In hac fabula scaena est Athenis (v. 492) platea ante domus Demaeneti et Cleaeretae. Aululariae quoque actionem intra unum diem fieri, cur credam, habeo. Nam postquam Euclio post v. 119 in forum se contulit, ut ibi nummos, quos magister curiae in pauperes viros divideret, peteret, post v. 177 rediens Megadorum in scaena convenit, qui ab eo filiam uxorem petit. Euclio postquam ei filiam promisit, uterque in forum abit, ut opsonetur. Euclione post v. 371, Megadoro post v. 474 reverso domi cena praeparatur. Interea reliqua actio in scaena peragitur. Periit extrema fabula, neque tamen ideo minus certum est, postquam in scaena omnia bene evenerunt, omnes domum se recepisse et bonum eventum cenantes et bibentes celebravisse. Eo modo actio etiam ante solis occasum finitur. Ineunte fabula in scaena conspicitur platea Athenis (v. 810)[1]) cum domibus Euclionis et Megadori et fano Fidei, qui locus per totam fabulam tenetur. In Bacchidibus eodem modo actionem finibus unius diei contineri vel eo apparet, quod rursus fabula peracta cena capitur (v. 1203, 1205). Omnia quae antecedunt, tam arte inter sese cohaerent, ut dubitari non possit, quin dies idem sit (cf. etiam v. 716, 1205). Etiam locus idem manet: semper videmus plateam Athenis (v. 235) et domus Bacchidum, Philoxeni, Nicobuli, ante quam ara Apollinis stat. In Captivis poeta legi illi Aristotelicae paruisse non videtur. Nam eo, quod Philocrates ex Aetolia in Elidem intra fabulam iter facit, permulti commoti sunt, ut putarent post v. 767 spatium aut unius diei aut complurium dierum intercedere. Quae sententia plane falsa est. Ut in omnibus aliis fabulis, ita in hac fabula unitatem temporis observatam esse perspicue e fabula ipsa cognosci potest. Initio enim fabulae progreditur Ergasilus parasitus hominem aliquem quaerens, qui eum ad cenam invitet. In scaena convenit Hegionem, qui quidem eum invitat, sed ad cenam asperam (v. 188). Post v. 460 redit et spectatoribus narrat, quomodo meliorem cenam adipisci frustra

---

Becker-Göll, Gallus, p. 319 sq.; Charikles, p. 286 sq.; Marquardt, Das Privatleben der Römer, p. 257 sq.

[1]) Hanc fabulam qui Athenis agi negat satis graves causas non affert Geffcken, Studien zu Menander, Progr. Hamburg 1898, p. 7, cui obloquitur Legrand, Rev. d. études grecques, 1902, p. 357 sp. Cognitis autem eis, quae Skutsch, Rh. M. 55 (1900), Ein Prolog des Diphilos und eine Komödie des Plautus, p. 280 sq. de πίστει Ἀττικῇ dixit, dubitari iam non potest, quin fabulae scaena Athenis sit.

conatus sit. Sed etiam unam spem habet. Abit enim in portum his usus verbis (v. 496—97):

nunc ibo ad portum hinc: est illic mi una spes cenatica;
si ea decollabit, redibo huc ad senem ad cenam asperam.

Currit igitur in portum et consentaneum est eum, postquam Philocratem redeuntem conspexerit, celeriter e portu ad Hegionem recurrere, quod sperat laetum nuntium sibi opulentam cenam comparaturum esse. Itaque cum senex eum interroget (v. 884):

quid tu per barbaricas urbes iuras?

parasitus ad illam asperam cenam respiciens eum illudit (v. 885):

quia enim item asperae
sunt ut tuom uictum autumabas esse.

Etiam alterum argumentum proferri potest, quod unum diem esse ostendat. Post v. 780, id est in altera fabulae parte post reditum Philocratis, Hegio in scaenam prodit haec verba faciens (v. 781—83):

Quanto in pectore hanc rem meo magis uoluto,
tanto mi aegritudo auctior est in animo.
ad illum modum sublitum os esse mi hodie!

Hodie igitur deceptus est neque dubitari potest, quin hic dies idem sit[1]). Fabulam finiri, priusquam nox appropinquet, vel ex eo cognosci potest, quod post actionem exactam cena illa a parasito praeparata domi Hegionis capitur. In postico proscaenii pariete domum Hegionis repraesentatam videmus. Actio agitur in platea in aliqua urbe Aetoliae, quae portum habet. In Casina quoque elucet poetam legi illi Aristotelicae paruisse. Nam initio fabulae Pardalisca ad Cleostratam dicit (v. 147):

prandium iusserat senex sibi parari.

Fabulam igitur ante meridiem incipere iure colligere possumus. Dies progreditur, dum Lysidamus Casinam potestatis suae facere conatur (cf. v. 510:

nostro omine it dies; iam uicti uicimus

et v. 566—67:

sicut ego feci stultus: contriui diem,
dum asto aduocatus quoidam cognato meo).

Senex cum exspectare non possit, dum cena cocta sit, incenatus Casinam ducere vult. Itaque haec ad uxorem verba facit (v. 780 sq.):

---

[1]) Cf. etiam Edw. A. Sonnenschein, Captivi, p. 5 adnot; Schöll, Captivi, p. XVI adn. 2; Langen, Plaut. Stud., p. 119.

Si sapitis, uxor, uos tamen cenabitis,
cena ubi erit cocta; ego ruri cenauero.
nam nouom maritum et nouam nuptam uolo
rus prosequi, noui hominum mores maleficos,
ne quis eam abripiat. facite uostro animo uolup.
sed properate istum atque istam actutum emittere,
tandem ut ueniamus luci; ego cras hic ero.
cras habuero, uxor, ego tamen conuiuium.

Reliqua fabulae pars tam arte sequitur, ut pro certo haberi possit diem etiam eundem esse. Neque aliter unus locus per totam fabulam observatur. Agitur fabula Athenis (v. 82, 652) in platea (v. 799) ante domus Lysidami et Alcesimi. In Cistellaria actio sub meridiem incipit. Nam fabula ineunte Selenium, Gymnasium, lena prandium iam confecerunt. Omnia reliqua usque ad vesperum peragi necesse est, cum e nullo fabulae loco spatium unius diei aut adeo complurium dierum intercedere concludi possit. Actores partes suas agunt in platea aliqua (v. 534) urbis Sicyonis (v. 130, 156, 190) ante domus Alcesimarchi et Demiphonis. In Curculione actio iam ante solis ortum[1]) incipit[2]), cum Palinurus Phaedromum his usus verbis alloquatur (v. 1—2):

Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?

Totam scaenam quae sequitur nocte peragi usque ad v. 215 docent v. 98, 182. Post v. 215 maius spatium intercedit, quo illucescit et pars quaedam temporis antemeridiani praeterit. Nam Palinurus haec verba ad erum suum facit (v. 223—228):

Si recte facias, Phaedrome, auscultes mihi
atque istam exturbes ex animo aegritudinem.
paues parasitus quia non rediit Caria:
adferre argentum credo; nam si non ferat,
tormento non retineri potuit ferreo
quin reciperet se huc essum ad praesepem suam.

Quamquam post v. 370 et 532 spatia statuere debemus, tota reliqua actio etiam ante cenae tempus ad finem perducitur, cum in fine fabulae Phaedromus Therapontigonum ad cenam invitet (v. 728—29):

---

[1]) Romanos et Graecos in scaena noctem efficere non potuisse manifestum est; itaque nox significabatur lanterna, facibus, crebra noctis commemoratione (v. 1, 98, 182). Neque aliter res se habet in Amphitruone.

[2]) Leo, Hermes 43 (1908), p. 309.

tu, miles, apud me cenabis. hodie fient nuptiae;
quae res bene uortat mi et uobis! spectatores plaudite.

Scaena, quam per totam fabulam videmus, est platea (v. 278) Epidauri (v. 341, 429, 562) ante domus Phaedromi et Cappadocis. Praeterea repraesentatur templum Aesculapii et ante aedes Phaedromi ara Veneris. In Epidico actio duobus intervallis temporis post v. 381 et 606 exceptis tam celeriter agitur, ut unus dies satis largus videatur. Quacum re plane congruit, quod e nullo fabulae loco diem praeterisse cognoscitur. In hac quoque fabula scaena non commutatur, sed semper videmus plateam Athenis (v. 26, 502) ante domus Chaeribuli, Apoecidis[1]), Periphanis. In Menaechmis paulo ante meridiem est, cum initio fabulae Menaechmus I domo excedit iturus ad Erotium et cum ea pransurus. Id comprobatur verbis Peniculi, qui v. 154 ad Menaechmum I dicit:

dies quidem iam ad umbilicum est dimidiatus mortuos.

Cum post v. 465 Menaechmus II domo Erotii exeat, iam prandium confectum est. Fabula exeunte noctem nondum advenisse verba Menaechmi I demonstrant, qui auxilio Messenionis e manibus servorum ereptus est (v. 1022):

nam apsque te esset, hodie numquam ad solem occasum uiuerem.

Poeta nos ducit Epidamnum (v. 72, 258, 263, 267, 306, 380, 1000, 1004) in plateam (v. 881), in qua actio peragitur ante domus Menaechmi I et Erotii. In Mercatore actionem mane ordiri iure concludere possumus e verbis Demiphonis (v. 255):

ad portum hinc abii mane cum luci simul.

Itaque cum post v. 224 a portu rediens scaenam ineat, verisimile est tempus meridiei nondum adesse. Quacum re congruit, quod Lysimachus post v. 271 domo sua excedens in forum abire vult, ubi tres lites ei iudicandae sunt (v. 281). Absurdum est putare eum tales res post meridiem gerere velle[2]). Cum Lysimachus post v. 498 redit, maius spatium praeterisse necesse est, quoniam interea in portu Pasicompsam emit eamque inde domum duxit. Id etiam Demiphonis verba demonstrant (v. 578—80):

[1]) Hahn l. c. p. 33 domus Periphanis et Chaeribuli solas in scaena esse repraesentatas putat. Etsi e fabula ipsa domum Apoecidis in scaena esse argumentis comprobari non potest, tamen id veri esse similius putamus.

[2]) Morem et Graecorum et aliorum populorum fuisse, ut lites ante meridiem iudicarentur praeter alios demonstrat Usener, Götternamen, Bonn 1896, p. 188.

quid si igitur unum faciam hoc? si censes, coquom
aliquem arripiamus prandium qui percoquat
apud te hic usque ad uesperum.

Uterque ad forum abit, ut opsonetur. Lysimachus post v. 691 redit cum coquo (post v. 741), qui cenam coquat (v. 742, 750). Lysimachus iterum post v. 802 in forum abit, ut Demiphonem arcessat. In fine fabulae post v. 956 redit et Demiphone illuso omnes domum Lysimachi introeunt, ubi cena parata est, ut iussit v. 800—02:

uxor, heus uxor! quamquam tu irata es mihi,
iubeas, si sapias, haec hinc intro auferrier;
eadem licebit mox cenare rectius.

Haec actio peragitur per totam fabulam in platea (v. 1006) Athenis (v. 945, 837) ante domus Demiphonis et Lysimachi, ante quam ara Apollinis posita est. In Milite Glorioso actio mane incipit, quoniam miles post v. 75 in forum abit, ut ibidem res suas gerat. Postquam post v. 78 Palaestrio prologus scaenam iniit, actio perpetuo procedit usque ad v. 595, ubi parvum spatium intercedit, cum interea domi Periplectomeni consilium habeatur. V. 832 comperimus Sceledrum vinum *in prandium* exbibisse. Itaque cum Pyrgopolinices post v. 946 a foro redit, iam post meridiem est. Reliquae scaenae inter sese adeo coniunctae sunt, ut in extrema fabulae parte noctem nondum advenisse iure putare possimus. Neque variat locus. Nam totam per fabulam in scaena videmus repraesentatam plateam (v. 609) Ephesi (v. 88, 113, 384, 411, 439, 441, 648, 778, 975) et post illam domum Pyrgopolinicis a dextra parte, a sinistra domum Periplectomeni, quae aedes militis attingit[1]). Mostellariam fabulam ante meridiem[2]) initium capere necesse est. Nam Tranio cum danistae argentum dare non possit, eum in aliud tempus differre his usus verbis conatur (v. 579):

redito huc circiter meridiem.

Cum Simo post v. 689 domo excedit, paulo post meridiem est, quia modo prandit, ut verba eius demonstrant (v. 692):

prandium uxor mihi perbonum dedit.

Phanisco post v. 932 scaenam ineunte, iam post meridiem esse docent verba a Theopropide ad Phaniscum facta (v. 966—67):

---

[1]) Lorenz, Mil. Glor., p. 8.

[2]) Cf. Leo, Plaut. Forsch., p. 176; Hermes 43, p. 310.

uide sis ne forte ad merendam quopiam deuorteris
atque ibi ampliuscule quam satis fuerit biberis.

In fine fabulae noctem huius diei nondum advenisse, ex his locis cognosci potest: v. 1005 Simo a foro reversus haec ad Theopropidem dicit

promisi foras,
ad cenam ne me te uocare censeas

et Callidamates ad Theopropidem (v. 1129):

hic apud nos hodie cenes, sic face

(v. 1134):

age mitte ista: + acto ad me ad cenam.

Scaena est fabula ineunte eadem atque exeunte: repraesentatur rursus platea Athenis (v. 1072, 66, 30), in parte posteriore domus Theopropidis et Simonis. In Persa fabula actionem finibus unius diei coerceri facile enucleari potest. Nam initio fabulae comperimus Toxilum in lenonem dolum struere velle, ut argentum ad puellam redimendam sibi comparet. Quo dolo bene peracto Toxilus ante domum convivium agit, cui Dordalus leno a foro supervenit, ubi virginem emptam manumiserat. In scaenam reversus a potantibus valde irridetur. Diem etiam eundem esse docent verba lenonis (v. 779—80):

perii, interii! pessumus hic mi dies hodie inluxit corruptor,
ita me Toxilus perfabricauit itaque meam rem diuexauit.

In scaenae fronte spectamus domum Dordali et eri Toxili. Actio agitur per totam fabulam Athenis (v. 151, 474. 549) ante illas aedes. In Poenulo actio ante meridiem incipit. Nam post colloquium inter Agorastoclem et Milphionem factum domo lenonis exeunt Adelphasium et Anterastylis in aedem Veneris iturae. E verbis Adelphasii (v. 217—19):

nam nos usque ab aurora ad hoc quod diei est,
ex industria ambae numquam concessamus
lauari aut fricari aut tergeri aut ornari

concludendum est iam non primo mane esse, sed partem temporis antemeridiani praeterisse. Spatium, quod post v. 448 statuendum est, horas usque ad meridiem complet. Nam Lycus, qui post v. 448 ex aede Veneris redit, dicit (v. 468—69):

sed quaeso, ubinam illic restitit miles modo
qui hanc mihi donauit, quem ego uocaui ad prandium?

Tempus igitur meridiei adesse putandum est. Tota reliqua actio etiam post meridiem eiusdem diei ad finem perducitur, ut docent

v. 1184, 1282, 1295, 1395. Eodem modo unus locus per totam fabulam observatur. Actio peragitur in Aetolia (v. 621, 1057) in urbe Calydone[1]) (v. 72, 94, 1181). In scaena videmus domus Agorastoclis (cf. v. 712) a dextra, Lyci lenonis a sinistra parte. Pseudoli[2]) actionem ante meridiem incipere versus 530, 547 docent. Harpax, qui post v. 594 scaenam init, *ad meridiem* Athenas Sicyone advenit. Quacum re congruit, quod cum in Ballionem non inciderit, post v. 665 scaenam relinquens in deversorium abit, ubi prandere et requiescere vult. Deinde cum Harpax in scaenam redeat, iam post meridiem esse necesse est; nam impellit ad festinandum Ballionem his usus verbis (v. 1157):

at maturate propera, nam propero: uides
iam diem multum esse.

Deinde Calidorus Phoenicium Pseudolus convivium celebrant, ut vesperum procul abesse non posse eluceat, cum Pseudolus ebrius post v. 1245 in scaena apparet, ut a Simone argentum promissum poscat (v. 1268):

hoc ego modo atque erus minor hunc diem sumpsimus
prothyme.

Neque tamen vesperum adesse e verbis Simonis cognosci potest, qui dicit (v. 1298—99):

quae istaec audaciast te sic interdius
cum corolla ebrium ingrediri.

Fabula igitur etiam ante vesperum finitur. Cum tota actio continuo cursu procedat neque usquam longum temporis spatium intercedat, absurdum est putare actionem per complures dies agi. In scaena repraesentatur platea in urbe Athenis (v. 279, 620, 731) cum tribus domibus: a dextra parte domus Ballionis, a sinistra Calliphonis, in medio Simonis[3]). Etiam in Rudente facile e fabula ipsa actionem spatium unius diei non excedere demonstrari potest. Initio fabulae horam matutinam esse clare docent verba Sceparnionis (v. 83—84):

Pro di inmortales, tempestatem quoiusmodi
Neptunus nobis nocte hac misit proxuma!

---

[1]) E v. 372: 'ac te faciet ut sis ciuis Attica atque libera' non colligendum est fabulam Athenis agi, cum poeta in hac fabula contaminanda eum versum cum reliquis rebus congruentum facere oblitus sit. Cf. Götz, Dittogr. im Plautust. Acta Societ. Lips. VI (1876), p. 311; Langen, Plautust. Stud., p. 185; Leo, Plaut. Forsch., p. 154.

[2]) Cf. Lorenz, Pseudolus, p. 3. — [3]) Cf. Lorenz, Pseudolus, p. 2.

Actio quae sequitur uno tenore procedit usque ad tempus meridiei. Nam Daemones ubi post v. 891 domo exiit, statim redit hanc afferens causam

v. 904: sed ad prandium uxor me uocat. redeo domum.

Totam reliquam actionem etiam ante vesperum ad finem perduci necesse est, cum Daemones magno gaudio affectus, quod filiam suam repperit, sub finem fabulae cenam coqui iubeat (v. 1215, 1264), quae post fabulam actam edetur, ut demonstrant verba Daemonis (v. 1418—20):

sequimini intro. spectatores, uos quoque ad cenam uocem,
ni daturus nihil sim neque sit quicquam pollucti domi,
niue adeo uocatos credam uos esse ad cenam foras.

Scaena in Rudente est singularis. Videmus regionem saxosam prope urbem Cyrenas (v. 33, 41, 615, 713, 740) ad mare sitam. Ad viam (v. 471), quae in urbem (v. 1223) fert, est villa Daemonis a dextra parte, a sinistra fanum Veneris, ante id ara Veneris. Etiam in Sticho fabula facile demonstrari potest actionem intra fines unius diei contineri. Pinacium v. 364 sq. narrat se prima luce in portum contendisse et ubi primum Epignomum conspexerit, statim recurrisse. Itaque partem diei praeterisse necesse est. Cum deinde Antipho et Pamphilippus in scaenam prodeunt, iam post meridiem est, quoniam Pamphilippus dicit (v. 533):

quam mox coctast cena? inpransus ego sum.

In ea quae sequitur parte agitur solum de cena, quae sub finem fabulae domi apud Epignomum capitur, dum servi ante aedes convivantur. Neque aliter res se habet de loco. Per totam fabulam actio peragitur in platea Athenis (v. 448, 649, 670) ante domus Antiphonis Epignomi Pamphilippi. Initio Trinummi fabulae Megaronides scaenam init et Calliclem amicum vituperat, quod in Charmidem male egerit. Cuius colloquii fine facto Lysiteles domo exit et patrem suum Philtonem orat, ut Lesbonici sororem sibi uxorem petat. Ubi Lesbonicus scaenam introiit, Philto id ab eo impetrat. Postea Megaronides, cum de dote comparanda dolum proponit, quem Callicles probat, amicum adhortatur, ut celeriter agat, his usus verbis (v. 806—11):

at enim nimis longo sermone utimur,
diem conficimus quom iam properatost opus.
nihil est de signo quod uereare; me uide:
lepida illast caussa, ut commemoraui, dicere

apud portitores esse inspectas. denique
diei tempus non uides?

Si nunc tempus diei adeo progressum est, verisimile est fabulam satis diu ante meridiem coepisse et nunc iam post meridiem esse. Fabulam eodem die finiri, priusquam nox appareat, e verbis Lysitelis concludere possumus (v. 1188):

numquid caussaest quin uxorem cras domum ducam?

Lysiteli Charmides respondet (v. 1189):

optumumst.
tu in perendinum paratus sis ut ducas.

Scaena per totam fabulam eadem manet. Repraesentatur Athenis (v. 1103) platea (840, 1006) cum domibus Calliclis et Philtonis[1]). Neque Truculentus ab illa lege discedit. Nam videmus actionem eodem die quo incipit ad finem perduci. In tota fabula duo intervalla temporis actionem interrumpunt post v. 644 et 698. Diem post ea spatia eundem esse verba Diniarchi clare demonstrant (v. 699—703):

Neque gnatust neque progignetur neque potest reperirier
quoi ego nunc aut dictum aut factum melius quam Veneri uelim.
di magni, ut ego laete laetus sum et laetitia differor!
ita ad me magna nuntiauit Cyamus hodie gaudia:
mea dona deamata acceptaque habita esse apud Phronesium.

Cum reliqua fabulae pars uno tenore progrediatur, non dubitandum est, quin actio spatio unius diei contineatur. Haec actio peragitur (v. 3, 10, 497) ante domus Phronesii et Strabacis.

---

[1]) Brix, Trinummus (1888), p. 30 in scaena domus Calliclis et Megaronidis repraesentari dicit. G. Hahn l. c. p. 48 iure obloquitur Megaronidis aedibus in tota fabula opus esse negans. Id cognosci potest minus e v. 193 quam e verbis sycophantae (v. 854—55):

ille qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum;
quae uoluit mihi dixit, docuit et praemonstrauit prius
quomodo quidque agerem

et e v. 863:

loca contemplat, circumspectat sese atque aedis noscitat.

Si domus Megaronidis in scaena esset, sycophanta regionem melius novisse debet. Sed mirum est, quod Brix et Hahn plane de aedibus Philtonis tacent. Nonne e v. 276:

quo illic homo foras se penetrauit ex aedibus?

concluditur etiam domum Philtonis in scaena repraesentari? De posticulo cf. Langen, Plaut. Stud., p. 220 et Dietze, De Philemone comico, p. 75.

Plautum igitur poetam leges illas Aristotelicas tenuisse demonstravimus. Nunc videamus, utrum etiam apud Terentium unitates illae valeant necne. Qua in re id praemittimus Terentium non aliter atque Plautum unum locum et unum tempus tenuisse, quoniam Terentius similia Attica exemplaria transtulit atque Plautus. Ut ab Adelphis ordiamur, in ea fabula actio prima luce[1]) incipit, ut verba Micionis initio fabulae facta docent (v. 1—2):

non rediit hac nocte a cena Aeschinus
neque seruolorum quisquam, qui aduorsum ierant.

Cum deinde Davus Demeam senem domo submoveat, tempus fere meridiei adesse verisimile est. Nam Davus dicit v. 588:

i sane: ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium.
Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur.

In extrema fabulae parte noctem nondum advenisse, ex eo colligi potest, quod Aeschinus sponsam, quae facibus ardentibus nocte incipiente domum mariti duci solebat, nondum uxorem duxit. Id demonstrant etiam verba Aeschini (v. 899—900):

occidunt mequidem, dum nimis sanctas nuptias
student facere: in adparando consumunt diem.

Haec fabula agitur ante aedes Micionis et Sostratae. Scaenam Athenis esse verisimillimum est (per. 8)[2]). In Andria Simo Pamphilum filium eo adducere vult, ut filiam Chremetis, non Glycerium vicinam in matrimonium ducat. In fine fabulae Glycerium filia Chremetis agnoscitur et Pamphilo uxor datur. Quae omnia intra unum diem fieri, e fabula ipsa colligi potest. Initio enim fabulae Simo et Sosia a foro, ubi coemerunt, domum redeunt. Diei igitur partem praeterisse manifestum est. In v. 581 diem satis multum progressum esse, docent verba Davi erum illudentis (v. 581):

quor uxor non accersitur? iam aduesperascit.

Davus cum deinde per dolum Pamphilum a matrimonio imminenti arcere velit, timet, ut tempus sibi sufficiat (v. 705: dies hic mi ut satis sit, uereor ad agendum). Tota reliqua actio tam arte cum antecedenti fabula coniuncta est, ut absurdum sit putare eam altero die ad finem perduci. Fabulae scaena est per totam fabula in platea Athenis (v. 907, 221, 780, 859, 923, 927) ante

---

[1]) Cf. Claes Lindskog, Studien zum antiken Drama, Lund 1897, Misc. p. 17.

[2]) Cf. Dziatzko-Kauer, p. 17.

aedes Simonis Glycerii Charini[1]). Etiam in Eunucho actionem intra unum diem fieri facile cognoscitur. Initio enim fabulae Phaedria adulescens constituit per biduum urbe relicta rus se conferre. Sed tantopere Thaidem amat, ut hoc ipso die revertatur (v. 629—642). Post v. 970 pater Phaedriae rure in urbem redit. Id quoque eodem die fieri demonstrant versus 980 sq. Postremo verba Chaereae totam actionem intra unum diem factam esse clare docent (v. 1044—49):

quid commemorem primum aut laudem maxume?
illumne qui mihi dedit consilium ut facerem, an me qui id ausus sim
incipere, an fortunam conlaudem, quae gubernatrix fuit,
quae tot res tantas tam opportune in unum conclusit diem,
an mei patris festivitatem et facilitatem? o Iuppiter,
serua obsecro haec bona nobis!

In hac fabula repraesentatur platea illa (v. 344) cum domibus Thaidis et Lachetis Athenis (v. 290, 539, 110, 805, 1093). Hecyrae actionem tam simplicem et brevem esse per se intellegitur, ut absurdum esset, si quis eam fines unius diei excedere putaret. In fine fabulae maximam diei partem iam praeterisse demonstrant verba Parmenonis a Pamphilo in arcem missi, qui post v. 798 redit (v. 799—800):

edepol ne meam erus esse operam deputat parui preti,
qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem

et v. 814—15:

minume equidem; nam hodie mihi potestas haud datast:
ita cursando atque ambulando totum hunc contriui diem.

Fabula Hecyrae agitur Athenis (v. 88) in platea ante domus Lachetis, Phidippi, Bacchidis. Etiam in Phormione actio finibus unius diei coercetur. Id concludi potest e verbis Getae, qui omnibus rebus in bonam partem versis haec exclamat (v. 841—42):

o Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus
quam subito meo ero Antiphoni ope uostra hunc onerastis diem!

Per totam fabulam spectamus in scaenae fronte aedes Chremetis Demiphonis Dorionis in urbe Athenis (v. 114, 837)[2]). In omnibus fabulis, quas adhuc tractavimus, actionem intra unum diem fieri

[1]) Cf. A. Spengel, Andria, p. XV. — [2]) Cf. Dziatzko-Hauler, Phormio, p. 69.

vidimus. Una fabula ab hac ratione discedit: Heautontimorumenos. Nam in hac fabula prior pars actionis (v. 1—409) sub vesperum incipit, ut verba Syri timentis, ne mulieres a via recta aberraverint, demonstrant (v. 248):

et uesperascit, et non nouerunt uiam.

(Cf. etiam v. 168, 187, 212)[1]. Posterior fabulae pars tota nocte interposita primo mane orditur. Nam Chremes domo sua prodiens haec facit verba (v. 410):

luciscit hoc iam. cesso pultare ostium
uicini

(cf. etiam v. 461, 519). Sed etiamsi hac in fabula actio unum diem excedit, tamen Aristotelis de unitate temporis lex illa non migratur, quoniam Aristoteles ipse aperte dicit in fabulis actionem intra circuitum solis aut paulo diutius fieri (A. P. 1449b 12—14: ἔτι δὲ τῷ μήκει ἡ μὲν (τραγῳδία) ὅτι μάλιστα πειρᾶται ὑπὸ μίαν περίοδον ἡλίου εἶναι ἢ μικρὸν ἐξαλλάττειν, ἡ δὲ ἐποποιία ἀόριστος τῷ χρόνῳ). Scaena per totam fabulam eadem est: actio agitur rure (v. 146, 191)[2] ante domus Menedemi et Chremetis non procul ab urbe Athenis[3].

Transeamus iam ad Menandri fabulas. In his quoque actionem intra unum diem fieri post tot exempla novae comoediae antea tractata expectabis. Atque quamquam non totae fabulae, sed fragmenta ad examinandum ante oculos habemus, tamen etiam ex eis argumentum magnam partem cognosci potest. Ut a fabula Disceptantium ordiamur, nonnullis locis audimus domi Charisii convivium agi (v. 197, 217)[4]. Praeterea scimus Charisium, ut dolorem fidei a Pamphila uxore violatae obtundat, cum Habrotono psaltria et amicis potantem et convivantem dies degere. Hoc quoque die coquum in convivio praeparando occupatum esse clare verba Onesimi docent (v. 166—167):

μάγειρον βραδύτερον
οὐδεὶς ἑόρακε! τηνικαῦτ᾽ ἐχθὲς πάλαι
ἔπινον.

---

1) Cf. etiam W. Wagner, Hauton Timorumenos (1872), p. 33, adnot.

2) De Halis Aexonidibus, ubi scaena huius actionis est, cf. Wilamowitz, Der Men. v. Kairo, N. Jahrb. f. klass. Phil. XXI (1908), p. 49 an. 2.

3) Recte igitur habet, quod Dziatzko, Rh. M. XXIV (1869), p. 574 de loco in fabulis Terentianis dixit.

4) In versibus numerandis utor Menandri Lugdunensis editione priore; alteram adipisci non potui.

Id convivium ἄριστον esse colligi potest ex alio fragmento[1]), in quo persona aliqua coquum segnem ad prandium apparandum incitare videtur:

τί δ' οὐ ποεῖς
ἄριστον; ὁ δ'ἀλύει πάλαι κατακείμενος.

Itaque actionem ante meridiem incipere veri est simillimum[2]). Deinde postquam Habrotonon dolo confecto per Sophronam Pamphilam infantis matrem esse cognovit idque cum Charisio communicavit, fieri potest, ut Charisius cum Pamphila in gratiam redeat. Id non alio, sed etiam hoc die fieri colligendum est e verbis Onesimi Smicrinem quid interim gestum sit edocentis (v. 523—24):

νυνὶ δ'ἀναγνωρισμὸς αὐτοῖς γέγονε καὶ
ἅπαντ' ἀγαθά.

Iam quin fabulae finis non procul absit, nemini dubium esse potest. Etiam locus totam per fabulam idem manet. Fabula agitur rure (v. 25)[3]) non procul ab urbe[4]) (v. 245, 361) ante aedes Smicrinis (v. 397, 473) et Chaerestrati, ubi etiam filius eius Charisius habitat (v. 194, 225, 248). Etiam in Samia actionem spatium unius diei non excedere cognosci potest. E primo fragmento cenam nuptialem cum studio praeparari comperimus. Nam Demeas senex spectatoribus haec narrat (v. 4—6):

ὡς γὰρ τάχιστ' εἰσῆλθον, ὑπερεσπουδακὼς
τὰ τοῦ γάμου πράττειν, φράσας τὸ πρᾶγμ' ἁπλῶς
τοῖς ἔνδον ἐκέλευσ' εὐτρεπίζειν πάνθ' ἃ δεῖ.

ὡς τάχιστα demonstrat etiam eam fabulae partem, quae antecedebat, nullo spatio interposito a sequenti fabulae parte esse seiunctam. Qua cum re consentit, quod paulo post (post v. 67) Parmeno a foro advenit cum coquo conducto, qui cenam coquat. Itaque si in fine fabulae audimus nuptias supra commemoratas iam praeparatas esse[5]) et Moschionem solum sponsum exspectari, iure dicere possumus actionem etiam eodem die perfici. Etiamsi adulescens opprobriis patris violatus primum domum introire non

---

[1]) quod Kretschmar non profert, quia postea repertum est; invenitur in Photii Lexico (ed. Reitzenst.) s. v. ἄλυς; apud v. Leeuwenium, p. 109, 8.

[2]) Cf. Leo, Der neue Menander, Hermes XLIII (1908), p. 162.

[3]) Cf. Leo, ibid. p. 131, Anm. 2.

[4]) Wilamowitz, Der Men. v. Kairo, Neue Jahrb. XXI (1908), p. 49.

[5]) Coquus in totum diem conduci solebat. Cf. Leo, Der neue Menander, H. 43, 1908, p. 162.

vult, tamen eum non diu repugnaturum esse verba eius docent (v. 337—341):

νῦν πρόσεισιν. ἂν δέ μου
μή δέητ', ἄνδρες, καταμένειν, ἀλλ' ἀποργισθεὶς ἐᾷ
ἀπιέναι — τουτὶ γὰρ ἄρτι παρέλιπον —, τί δεῖ ποεῖν;
ῥᾳδίως οὐκ ἂν ποήσαι τοῦτ' ·ἐὰν δέ; πάντα γὰρ
δυντάτ'. ἐπεὶ γέλοιος ἔσομαι, νὴ Δί', ἀνακάμπτων πάλιν.

Finem igitur fabulae fecisse nuptias et cenam nuptialem satis apparet. Haec fabula agitur in urbe (v. 283, 312) fortasse Athenis (ut docent v. 256 sq., 260 sq.) ante aedes Nicerati et Demeae, quantum quidem e fragmentis cognosci potest[1]). Periceiromenae fabulae actio quando initium capiat, non difficile est dictu. Nam statim post discessum Ignorationis deae prologum pronuntiantis in scaenam prodit Polemonis servus intus prandium apponi narrans (v. 54—56):

κατέλιπον ποούμενον
ἄριστον αὐτοῖς ἄρτι, καὶ συνηγμένοι
εἰς ταὐτόν εἰσιν οἱ συνηθεῖς, τοῦ φέρειν
αὐτὸν τὸ πρᾶγμα ῥᾷον.

Actionem igitur satis diu ante meridiem coepisse apparet, quoniam Polemonem, ut dolorem suum comissatione obtundat, iam mature convivari coepisse putandum est. Quae sententia eo fulcitur, quod postea, postquam pars quaedam actionis iam praeterlapsa est, Davum, qui ero Moschioni res in domo matris eius investigatas renuntiat, cum alia tum haec narrantem audimus (v. 116—118):

ἡ δὲ μήτηρ σου διοικεῖ περιπατοῦσ' οὐκ οἶδ' ὅτι.
εὐτρεπὲς δ'ἄριστόν ἐστιν, ἐκ δὲ τῶν ποουμένων
περιμένειν δοκοῦσί μοί σε.

Tum demum tempus meridiei adesse apparet. Reliquam actionem etiam hoc die finiri, quamquam e verbis poetae ipsis colligi non potest, tamen veri est simillimum. Nam ut in tot fabulis Plautinis et Terentianis, ita in hac quoque fabula actionem cena terminari[2]) videmus. Atque si in illis cena etiam diem finit, hac in fabula cur res aliter se habeat non est. Agitur fabula ante aedes Polemonis et Myrrhinae; fortasse etiam Pataeci domus in scaenae fronte spectatur[3]). De Heroe multa dicere non possum, quo-

[1]) Utrum etiam Chaereas, qui in fragmentis nominatur (v. 510, 526 apud Lefeburium, p. 179) in scaena habitet necne, enucleari non potest.

[2]) Cf. v. Leeuwen, p. 76.

[3]) Wilamowitz, Der Men. v. Kairo, p. 42, tres domus in scaena esse vult.

niam e fabula nihil servatum est nisi scaena expositicia. Sed ex argumento fabulae praemisso id unum cognosci potest actionem simplicissimam esse et ideo facillime intra unum diem fieri posse. Quacum re congruit paucitas personarum in fabula prodeuntium, quas index enumerat. Fabula agitur ἐν δήμῳ Πτελέᾳ (v. 22)[1]) ante domus Lachetis et Phidiae.

Quoniam unitates illas et temporis et loci in omnibus novae comoediae fabulis observatas esse demonstravimus, accedamus ad rem ipsam et primum quidem disquiramus, quibus artificiis poetae usi sint, ne actio fines unius diei excedat.

Caput II.

A. Quibus artificiis usi poetae temporis unitatem observaverint.

§ 1.

Persaepe in primis fabulis personae scaenam introeunt, ut spectatores quid iam pridem factum sit ideoque in spectatorum conspectum dari non possit aut colloquio aut soliloquio comperiant, quo facilius quae sequuntur intellegantur[2]).

Poetae scaenici duplici modo spectatores in fabulam inducere solebant: prologo et expositione. In prologo poeta eas omnes res, quae ad recte intellegendam fabulam necessariae sunt, spectatoribus narrari facit. Huc pertinent non modo res, quae fabulae antecedunt, sed etiam saepe, si fabula ipsa difficilis atque contorta est, argumenti narratio. Quam rationem maxime Plautus secutus est. Terentius autem in prologo haec de industria praetermisit et inductionem spectatorum in fabulam solum expositione effecit[3]). Partes prologi varie agi possunt: secundum rationem Euripideam prologum dicit persona fabulae, quae perturbata omni verisimilitudine scaenam introit et spectatoribus res necessarias exponit. Persaepe videmus deos quosdam aliquo

---

[1]) Cf. Wilamowitz, Der Men. v. Kairo, N. J. 1908, p. 40 et Leo, Der n. Men. H. 43, p. 122.

[2]) Cf. Leo, Der Monolog im Drama, Nachr. d. Gött. Ges. N. F., Bd. X, 5, p. 14 sq., 36 sq., 47 sq., 73.

[3]) Haec ratio apparet etiam in Plauti Asinaria et Trinummo, quarum prologi aeque ac Terentiani structi sunt; fortasse etiam in Vidularia, cf. Leo, Pl. F., p. 197.

modo cum rebus quae agebantur conexos prologum dicentes. Postremo Romani poetae partes prologi tribuerunt actori, qui solum eo consilio scaenam introit, ut prologum pronuntiet. E quo munere accepit nomen Prologi et ornatum, qui eum statim spectatoribus prologum significabat[1]). Copiose de prologo dicere omittam, quoniam optime de eo iam ab aliis expositum esse notum est[2]). Hac in commentatione disquiram, qua cum arte poetae comici spectatores expositione quae dicitur in actionem introduxerint. Liceat autem a Terentio[3]) ordiri, quippe qui poeta prologum plane a fabula ipsa solverit. Ut ab Adelphis incipiamus, initio fabulae Micio domo exiens longo soliloquio dicit de suis et fratris rebus et moribus, de sua disciplina liberorum educandorum, quae discrepat a sententia fratris. Iure mireris, quod Micio tam copiose ante domum suam in platea de his rebus loquitur; sed cognoscimus poetam id egisse, ut spectatores de Demeae et Micionis moribus certiores fiant[4]). Quo facto cum Demea in scaenam procedit, iam spectatores quod dicit et agit recte intellegere possunt. Neque in Andria Terentius a ratione illa discedit. Cuius fabulae initio Simo senex et Sosia libertus a foro, ubi varia coemerunt, veniunt. Simo postquam servos merces emptas portantes intromisit et Sosiam foris remanere iussit, incipit longum colloquium, quo uberius, quid ante hunc diem actum sit, liberto narrat. V. 35—40 docent Sosiam iam diu in familia senis fuisse. Qui igitur fit, ut Sosia omnia quae senex narrat, nescire videatur? Cur autem Simo nunc ipsum et in ipsa platea de his rebus loquitur? Nonne veri est similius

---

[1]) Cf. L. Havet, Prologus, Archiv f. lat. Lexikogr. u. Gramm. II, 613.

[2]) Commemorandae sunt imprimis hae commentationes: K. Dziatzko, Über die Plautinischen Prologe. Allgem. Gesichtspunkte. Beil. z. der Kantonsschule zu Luzern 1867. Ph. Fabia, Les prologues de Térence, Paris 1888. P. Trautwein, De prologorum Plautinorum indole atque natura, Berol. 1890 diss. G. Frantz, De comoediae Atticae prologis, Argent. 1891 diss. Fr. Leo, Plautinische Forschungen, Berlin 1895. Ed. Hauler, Phormio³, Leipzig 1898, p. 32.

[3]) Frustra conatus sum in artificiis tractandis inter Menandrum Diphilum Philemonem discernere. Sed nihil inter sese differre videntur, ne ita quidem, ut Aeschylus Sophocles Euripides.

[4]) Cf. Leo, Der Monolog im Drama, p. 74: „Überhaupt haben die Dichter der neuen Komödie gewiß in höherem Grade, als es bei Plautus ersichtlich ist, die Monologe zur Charakterisierung nicht nur der Typen (darin tut auch Plautus viel), sondern der individuellen Personen verwendet . . . . So geben die Monologe des Demea in den Adelphoe den Faden seiner Charakterzeichnung.“

eos introire atque domi de rebus domesticis colloqui, cum illic soli sint, hic in publico versentur? Colloquium igitur illud nihil aliud sibi velle satis apparet, nisi ut spectatores ea comperiant, quae cum ante hunc diem facta sint in scaena peragi non possunt. Quae ratio pertinet etiam ad Eunuchum. Thais enim Phaedriam ad se vocavit, ut se excusaret, *quod heri intro missus non est.* Phaedria apparet et Thais, postquam domo egressa est, colloquio quod incipitur ea, quae spectatores de Pamphila scire debent, fusius explanat. Cum neque quae ad Pamphilam pertinent neque repulsa Phaedriae ante oculos spectatorum, quod antea acta sunt, poni possint, relinquitur, ut poeta haec spectatoribus enarret. Sane quidem dicit Thais ad Phaedriam (v. 127—128):

tute scis postilla quam intumum
habeam te et mea consilia ut tibi credam omnia.

Quibus e verbis Phaedriam de Pamphila omnia iam scire colligendum est. Neque in Hautontimorumeno poeta ab illa ratione abhorret. In prima enim fabula Menedemus Chremeti vicino narrat, cur totum per diem in labore versetur. Paterna enim severitate sua filium se domo expulisse. Sed non multo post huius facti se paenituisse et sibi iratum ob crudelitatem suam, postquam omnia quae possideret vendidisset, huc migravisse, ubi hoc agro empto sibi occasio sui exercendi esset. Hic quoque poeta efficit, ut ea quae in scaenam produci non possunt, coram spectatoribus narrentur. Sed in quantam rerum discrepantiam poeta incidit! Clitipho dicit ad patrem (v. 182—184):

aduenientem e naui egredientem ilico
abduxi ad cenam; nam mihi magna cum eo iam inde a pueritia
fuit semper familiaritas.

Filius igitur a pueritia cum vicini filio vixit et novit, qua de causa amicus militatum in Asiam profectus sit. Qui quaeso fieri potest, ut filius nihil de hac tanta re cum patre communicaverit ne tum quidem, cum pater Cliniae Menedemus agrum vicinum mercatus huc migravit? Facere non possumus, quin poetam putemus Chremetem ideo nescium inducere, quod eo modo per Menedemum ille coram spectatoribus certior fieri possit, nisi forte haec tanta discrepantia contaminatione fabulae explicatur [1]). Neque

---

[1]) Hautontimorumenum fabulam esse contaminatam e prologo evicit Skutsch, Der Prol. z. Hautont. d. Ter. Philol. 59 (1900), p. 1 sq., cui iniuria, ut

alio spectat Hecyrae initium. Poeta enim meretricem Philotidem in scaenam producit idcirco, ut cum Parmenone congressa ab eo de eis rebus quae spectatores scire debeant certior fiat. Simili ratione poeta utitur in Andria fabula Sosiam libertum in spectatorum conspectum adducens. In Hecyra Parmeno ante domum Philotidi occurrens ei omnia quae ad Pamphilum pertinent narrat, quamquam illam ex Bacchide magnam partem iam comperisse putandum est. Nam domo Bacchidis egressa haec verba facit (v. 58—63):

per pol quam paucos reperias meretricibus
fidelis euenire amatores, Syra.
vel hic Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi,
quam sancte, ut quivis facile posset credere,
numquam illa viva ducturum uxorem domum!
em duxit.

Neque aliter res se habet in Phormione. Davus enim in scaenam prodiens narrat amicum et popularem Getam heri ad se venisse et parvum aes alienum repetivisse. Nunc domo exit Geta ipse, qui a Davo argentum accipit. Oratione latiore exponit senes duos iter fecisse neque etiam redisse, adulescentes amore incensos, Antiphonem consilio atque opera Phormionis puellulam nanctum esse, se ipsum eius culpae participem magno in timore versari, cum dies adventus senum magis magisque appropinquet, denique omnia, quae spectatores noverint necesse est, ut res quae sequuntur facile intellegant. Qua in re poeta non evitat, quae veri non sunt similia. Si quis quaerit, cur Geta Davo eas res non iam heri narraverit, cum ad eum argenti reposcendi causa se contulit, nullam causam afferre possumus. Immo vero eum heri id aptius facturum fuisse putandum est, quoniam ei heri plus temporis erat quam hodie. Nam in extremo colloquio de scaena abit haec locutus (v. 149—150):

---

mihi videtur, obloquitur Köhler, De Hautontimorumeni Ter. compositione, diss. Lipsiae 1908, p. 37. Idem discrepantiam illam ita explicare studet (p. 7 adn. 1), ut dicat Clitiphonem propter amorem Bacchidis in urbe vitam degere neque adhuc per tres illos menses cum patre de novo vicino colloqui potuisse. Haec est coniectura non verisimilis neque omnino e fabula ipsa comprobari potest. Neque melius se habet sententia a Siessio prolata, Über d. Charakterzeichn. in d. Kom. d. Ter., Wien. Stud. XXVIII (1906), p. 253 adn. 1. Verum notum est quosdam philologos quidvis potius fingere atque comminisci quam ut poetas antiquos interdum dormitavisse concedant, si dormitasse dicendi sunt in eis, quae ita instituere necessitate quadam scaenica coacti erant.

sed epistulam ab eo adlatam esse audiui modo
et ad portitores esse delatam: hanc petam.

Sciebat igitur Geta Demiphonem epistula adventum suum indicavisse, sed quid agit? Apud Davum multa verba facit neque memor videtur esse, quantum mali adventus senis afferat. Nos quidem censemus ei nihil celerius faciendum esse quam ut ad portum festinet, ut quam primum senis adventum comperiat. Praeterea veri non est simile Davum totam rem non novisse, quamquam Antiphonem uxorem duxisse in ore ac sermone omnium est. Nam et Demipho et Chremes rem comperiunt statim, ubi a portu in urbem eunt. Intellegimus poetam ita rem egisse, cum et spectatores eam cognoscere necesse sit et res priore tempore gestae hoc die ipsa in scaena peragi non possint.

Aliter Plautus hac in re se habet, qui, ut iam commemoratum est, ad edocendos spectatores et prologo et scaena expositicia utitur. Ac primum quidem accedamus ad eas fabulas perscrutandas, quae sine prologo traditae sunt: ad Curculionem, Epidicum, Mostellariam, Persam, Stichum. In Curculione initio fabulae scaenam ingrediuntur Phaedromus adulescens eiusque servus Palinurus. Phaedromus manu tenens facem domo sua prodiit, ut Planesium, quae in domo vicini lenonis habitat, viseret. Cum Palinuro ornatus et id quod dominus incipit mirum videatur, ex eo quaerit (v. 1—2):

quo ted hoc noctis dicam proficisci foras
cum istoc ornatu cumque hac pompa, Phaedrome?

Tum dominus ei narrat, quid facturus sit. Quae tota scaena nobis veri non similis esse videtur. Etenim consentaneum est servum iam domi, ubi dominus talem actionem praeparavit, quo iturus sit, erum interrogare. Sed poeta eo quod Phaedromus in scaena rem exponit, efficit, ut spectatores colloquio intersint et omnia quae ad argumentum fabulae spectant comperiant. Adde quod Palinurum, ut iam in Terentiana expositione vidimus, omnium earum rerum ignarum[1]) cogitari necesse est. Initio Epidici fabulae[2]) advenit a portu Thesprio, ut domum se con-

[1]) Cf. Leo, Pl. Forsch., p. 178 . . . . „alles Dinge, die Palinurus längst wissen muß (vgl. v. 14); wie denn auch v. 230 sq. der Kuppler und Palinurus in freundnachbarlichem Verhältnis stehen. Dies ist ein Motiv, das lediglich dem Zwecke der Exposition dient, ein Notbehelf, dessen Unwahrscheinlichkeit der dramatische Dichter hinnimmt eben um den erzählenden prologus zu vermeiden, an dessen Stelle als anderer Notbehelf die πρόσωπα προτατικά treten".

[2]) Cf. Leo, Plaut. Forsch., p. 179.

ferat. Eodem tempore Epidicus quoque accurrit et Thesprionem pallio reprehendit, ut properantem retineat. Iam hi ambo colloquium in scaena habent, quo spectatores partem earum rerum, quae ad intellegendam fabulam necessariae sunt, comperiunt. Sed quomodo poeta efficit, ut Epidicus Thesprionem ipsa in scaena conveniat? E verbis Epidici (v. 13—15):

> di immortales te infelicent, ut tu es gradibus grandibus!
> nam ut apud portum te conspexi, curriculo occepi sequi:
> uix adipiscendi potestas modo fuit

cognosci potest Epidicum iam apud portum conservum suum sequi coepisse. Manifestum est poetam servos illos in scaena demum convenientes idcirco fecisse, quod spectatores colloquio eorum interesse voluit. In Mostellaria[1]) expositio efficitur per duos servos inter sese altercantes. Servus rusticus Grumio rure in urbem venit, ut pabulum pecui peteret. Ira incensus quod ero absente res familiaris profundatur, conservum suum Tranionem obiurgat. Sed paulo post a Tranione e culina in plateam eiicitur, ubi duo servi altercari pergunt. Eo quod spectatores opprobria quae Grumio Tranioni facit audiunt, cognoscunt ea omnia, quae ad intellegendam actionem futuram opus sunt. Confitendum est hanc expositionem summa cum arte a poeta institutam esse, neque habemus, quod in ea reprehendamus. Persae[2]) fabulae actio tam simplex est, ut spectatores nihil aliud comperire necesse sit nisi Toxilum servum amore inflammatum et ei pecunia ad puellam redimendam opus esse. Itaque poeta duos servos illos Toxilum et Sagaristionem scaenam introeuntes et inter sese colloquium incipientes facit, quo spectatores necessaria cognoscunt[3]). In Sticho[4]) initio fabulae in scaenam ineunt duae sorores, Panegyris et Pamphila, quae ad sororem dicit haec (v. 9):

> sed hic, soror, adside dum: multa uolo tecum loqui de re uiri.

E colloquio earum et patris, qui paulo post ad illas accedit, spectatores de rebus ad intellegendam fabulam necessariis certi-

---

[1]) Leo, Pl. Forsch., p. 176.

[2]) Leo, Pl. Forsch., p. 177.

[3]) Haec scaena expositicia simillima est expositionis Herois Menandreae. In hac quoque fabula Davus alteri servo Getae amore se inflammatum esse confitetur.

[4]) Cf. Leo, Plaut. Forsch., p. 177.

ores fiunt. Sed luce clarius est illas duas mulieres solum ea de causa domo in plateam progredi, quod colloquium coram spectatoribus habeatur necesse est. Nam quis est qui ut de his rebus loquatur in plateam se conferat? Terentiano modo Plautus agit in prologis Asinariae et Trinummi. Nam in his fabulis poeta quamquam prologum conservavit, tamen consulto (Asin. v. 8, Trin. v. 16) argumenti enarrationem omittit. Asinariae[1]) initio domo prodeunt Demaenetus senex et servus eius Libanus inter se colloquentes. In platea subsistentes colloqui pergunt. Postquam omnia necessaria dixerunt, scaena decedunt. Haec expositio satis apte a poeta effecta est, etsi intellegere non possumus, quare illi ipsa in platea res illas disserant neque domi remaneant. In Trinummo[2]) quoque poeta in prologo Luxuriam dicentem facit (v. 16—17):

sed de argumento ne exspectetis fabulae:
senes qui huc uenient, i rem uobis aperient.

Alter senum Megaronides scaenam introit, ut amico suo Callicli crimini det, quod male egerit. Dum id dicit, poeta Calliclem, quippe quem nunc in scaena adesse opus sit, domo progredientem facit. Causam cur in plateam prodeat, Callicles neque habet neque dicit. Megaronides amicum alloquitur et ex colloquio enascente spectatores cetera comperiunt. Etiam Pseudolus hoc in numero fabularum Plautinarum fuisse videtur. Nam ut Leo[3]) docuit, introductio tota expositione datur, ut prologum enarratione argumenti caruisse verisimile sit. Quomodo autem expositio datur? Calidorus et servus eius Pseudolus domo in plateam prodeunt. Hic Pseudolus ex ero quaerit, cur tanto luctu affectus sit. Nonne est mirum, quod Pseudolus nunc demum, cum ex aedibus egressi sunt, luctum domini animadvertens causam quaerit? Praeterea id quoque offendimus, quod servus ignarus est consilii erilis. Nam ex eo, quod Simo dicit (v. 418—20):

ita nunc per urbem solus sermoni omnibust,
eum velle amicam liberare et quaerere
argentum ad eam rem. hoc alii mihi renuntiant

colligendum est fieri non posse, ut servus qui semper ubique una cum ero sit amorem domini ignoret. Sed eo, quod Calidorus Pseudolo inscienti omnia exponit, etiam spectatores quid rei sit

---

[1]) Leo, Pl. F., p. 181. — [2]) Ibidem, p. 182; Trautwein l. c., p. 23.
[3]) Plaut. Forsch., p. 196.

certiores fiunt. Omnibus reliquis [1]) Plauti fabulis antecedit enarratio argumenti. In Captivis, Menaechmis, Poenulo, Truculento persona prologi, in Amphitruone, Aulularia, Casina [2]), Cistellaria, Rudente deus quidam, in Mercatore et Milite Glorioso persona fabulae ipsius prologum pronuntiat. Consentaneum est expositionem earum fabularum non amplam esse, quoniam poeta spectatores iam prologo de argumento fabulae certiores fecit. Videmus igitur in Captivis [3]) et in Menaechmis [4]) parasitum inire, ut cenam sibi comparet. A parasito Captivorum paulum quiddam (v. 96—101), Menaechmorum nihil de argumento comperimus. Poenulus [5]) habet expositionis loco illud colloquium, quo erus servo se amore captum esse narrat (quale est etiam in Curculione, Persa, Pseudolo [6]). Atque sententiae Leonis adstipulari possumus illam scaenam aperte vestigia contaminationis ostendere. Milphio et Agorastocles in scaena apparent nullam causam proferentes; adsunt, quia in scaena necessarii sunt. In Truculento [7]) initio fabulae Diniarchus adulescens in scaenam prodit et soliloquio quod eum amatorem esse ostendit, v. 77—94 partem actionis narrat. Deinde Astaphium e domo meretricis prodit, a qua re actio ipsa incipit [8]). In Mercatore [9]) omnia, quae ad intellegendam fabulam opus sunt, exponit Charinus adulescens. Quibus rebus factis actio statim orditur ab Acanthione e portu adveniente et nuntiante patrem puellam in navi conspexisse. Expositio et prologus hac in fabula concidunt. Similis res est in Milite Glorioso [10]). In hac quoque fabula persona partes in fabula agens prologum dicit. Nam post parvam scaenam a milite et parasito actam [11]) in scaenam procedit Palaestrio servus [12]), qui longiore oratione de argumento nos edocet. Qua

---

1) Vidulariam fabulam extra hanc disputationem esse volo, quod prologus mutilus est.

2) Prologum Casinae a Fide dea dici Skutschius demonstravit Rh. M. 55 (1900), p. 272 sq.: Ein Prolog d. Diphilus u. eine Komödie d. Plaut.

3) Leo, Pl. Forsch., p. 185. — 4) Ibidem p. 186.

5) Ibidem p. 153 sq., 189. — 6) Ibidem p. 125; Frantz l. c., p. 23.

7) Leo, p. 187.

8) Aliter Leo, p. 187; res est hic eadem atque in Mercatore.

9) Leo, p. 195; Trautwein l. c., p. 32.

10) Leo, p. 194.

11) Cf. Dietze l. c., p. 58.

12) Quod prologus et in hac fabula et in Cistellaria non initio fabulae, sed post scaenam pronuntiatur, iam Menandri eum morem fuisse docent Herois et Periceiromenae reliquiae.

in re id mirum esse videtur, quod postquam prologum, quo argumenti totius fabulae peritum se praebuit, finivit, statim partes suas servi Militis suscipit argumenti[1]) ignarissimus. Restant illae fabulae, cuius prologum sive deus quidam sive persona allegorica pronuntiat. A quibus si omnia spectatoribus enarrantur, id non offendendum est (ut fecimus in prologo Militis per Palaestrionem dicto), quoniam deum omnia scire consentaneum est. Ut ab Amphitruone[2]) ordiamur, prologum Mercurius deus pronuntiat, qui etiam in fabula partes quasdam agit. Miro modo prologus et scaena expositicia mixta esse videtur. Nam prologus, qui primum quidem usque ad v. 152 pertinet, interrumpitur Sosia post v. 152 a portu adveniente. Intercedit deinde colloquium inter Sosiam et Mercurium habitum. Sosia de scaena post v. 462 depulso Mercurius narrationem argumenti pergit et tum demum loqui desinit, cum Iuppiter et Alcumena post v. 498 domo excedunt. Quae res mira esse non potest, cum agatur de comoedia, in qua dei sortes hominum regunt. Aulularia[3]) fabula incipit a prologo, quem Lar familiaris loquitur. Scaena expositicia, quae usque ad v. 119 pertinet, aptissima est et habet vim maximam. Sane quidem id in ea reprehendendum est, quod Euclio Staphylam quidem veram causam irae suae celat, sed illa non praesente magna voce arcanum suum in platea prodit. Casina[4]) quoque, quamquam Fides dea spectatoribus omnia exponit, nihilo minus aptissimam expositionem habet, quae simillima est Mostellariae. Hic quoque servus rusticus et urbanus inter sese disceptant et spectatores optime in actionem introducunt. Deinde prodit Cleostrata, uxor Lysidami, vicinam domi convenire in animo habens. Id poeta prohibet eo, quod hoc ipso temporis vestigio illa domo egreditur. Eo modo poeta effecit, ut haec scaena in platea coram spectatoribus peragatur. Etiam e colloquio earum spectatores nonnulla comperiunt. In Cistellaria[5]) expositio efficitur colloquio inter Selenium, Gymnasium, lenam habito. Selenium ad prandium Gymnasium meretricem matremque eius invitavit. Prandio modo confecto illae tres domo prodeunt, cum

---

[1]) Vide quod hac de re dicit Trautwein l. c., p. 47.

[2]) Leo, Pl. F., p. 195; Trautwein l. c., p. 59; Dietze l. c., p. 56.

[3]) Leo, p. 191; Trautwein l. c., p. 11.

[4]) Leo, p. 188.

[5]) Leo, p. 192; Trautwein l. c., p. 54.

Gymnasium et mater eius abiturae sint. Nunc demum, cum in platea sunt, poeta Selenium Veneris curas et aerumnas exponentem fingit, ut spectatores quoque id audiant. Sed equidem puto veri non simile esse Selenium tum demum dolorem amoris exprimere, ut Gymnasium causam quaerat. In Rudente[1]) statim, postquam Arcturus prologi munere fungens spectatoribus omnia quae scire debent protulit, actio incipit. Itaque expositio, cum non necessaria esse videatur, deest.

Etiam quemadmodum Menander[2]) initia fabularum suarum composuerit clare e fragmentis novis cognoscere possumus. Duae fabulae maxime, Heros et Periceiromena, huc pertinent; in utraque fabula invenitur prologus et scaena expositicia, sed ita, ut prologus post illam scaenam pronuntietur. In Heroe expositio per duos servos illos, quorum alter alteri amorem suum confitetur, efficitur. Getas Davo occurrit et ita inter sese colloquentes in scaenam procedunt: sic autem incipit Getas (v. 1—5):

κακόν τι, Δᾶέ, μοι δοκεῖς πεποηκέναι
παμμέγεθες, εἶτα προσδοκῶν ἀγωνιᾶν
μυλῶνα σαυτῷ καὶ πέδας, εὔδηλος εἶ!
τί γὰρ σὺ κόπτεις τὴν κεφαλὴν οὕτω πυκνά;
τί τὰς τρίχας τίλλεις ἐπιστάς; τί στένεις;

Davus non statim veram causam doloris indicat, sed tum demum, cum Getas falsam suspicionem habere incipit, copiose totam rem exponit. Qua in re id maxime offendimus quod Getas quamquam servum e vicinia esse putandum est, res Davi eiusque domini nescit. Sed poetae opus esse persona, quae earum rerum ignarissima est, ut Davo illas res enarrandi occasio detur apertissimum est. In indice personarum nomina Getae et Davi nomen Herois sequitur. Itaque manifestum est Heroem futurum esse eum, qui prologi munere fungens spectatoribus omnia cetera quae illi servi scire non possunt, enarrat. Id comprobatur initio alterius fabulae Periceiromenae. Haec orditur a prologo a dea quadam, Ignoratione (Graecum nomen est Ἄγνοια), pronuntiato. Sed unus versus (7 : τεθραμμένης τῆς παιδὸς ἣν νῦν εἴδετε ὑμεῖς) nobis dicit unam scaenam antecessisse, in qua Circumtonsa ipsa coram spectatoribus partes egit. Itaque in hac quoque fabula scaenam expositiciam prologo antecessisse certum est.

1) Leo, Pl. Forsch., p. 192; Trautwein l. c., p. 42.

2) De prologis Menandri, quod quidem e fragmentis iam cognitis colligi possit, vide Dziatzko, Allgem. Gesichtsp., p. 9.

§ 2.

Atque etiam id saepe spectant poetae, ut res, quae in quemlibet diem incurrere possunt, hoc ipso die geri faciant, perinde ac si hic dies aptissimus sit[1]).

Cuius rei Plautus multa exempla praebet. In Bacchidibus enim Pistoclerus eiusque servus Chrysalus iam duos annos domo absunt. Quolibet die redire possunt. Cum nisi adsunt, actio hodie finiri non possit, fieri non potest, quin hoc ipso die revertantur. In Trinummo Charmides quolibet die peregre redire potuit, sed poetam si actionem finibus unius diei aptare vellet, eum hoc ipso die reducem facere necesse est. Consentaneum est poetam ita effecisse, ut reditus Charmidis eo temporis momento fieret, quo actioni aptissimus est. Itaque Charmides tum scaenam ingreditur, cum Sycophanta advenit, ut fraudem committat[2]). Eadem ratione usus poeta in Amphitruone Amphitruonem, in Epidico Stratippoclem, in Mostellaria Theopropidem, in Sticho fratres hoc ipso die redeuntes inducit. In Asinaria mercator quolibet die pecuniam afferre potuit. Quod si hodie fit, de industria a poeta effectum est, ut actio intra fines unius diei peragi posset. Eodem modo in Poenulo hoc ipso die Hanno Calydonem pervenit.

Ut Terentianis exemplis utar, in fabula Andria Crito hodie Athenas revertitur. Eadem ratione poeta in Phormione utitur. Nam Demiphonem et Chremetem senes ex itinere iam diu incepto hoc ipso die redire videmus. Neque aliter res se habet in Hautontimorumeno et in Hecyra. In illa fabula Clinia, in hac Pamphilus, qui Imbrum iter fecit, hoc die redeunt.

Sequuntur iam ea exempla, quae quoniam eodem pertinent, coniunctim tractentur. Continent imprimis eas res, quibus poeta aliquo temporis memento mulierem post scaenam parturientem facit. In Adelphis enim Hegio, qui a Geta ad Pamphilam adiuvandam et defendendam arcessitus est, in scaenam progressus Demeae seni quid mali Aeschinus filius Pamphilae attulerit explicat. Pergit his verbis (v. 474—77):

virgo ex eo
compressu gravida factast (mensis decumus est):
ille bonus uir nobis psaltriam, si dis placet
parauit, quicum uiuat; illam deserit.

---

1) Cf. Felsch l. c., p. 30.

2) Dietze l. c., p. 69: „.... in Trin., ubi poeta Charmidem eo ipso puncto temporis reducem facit, quo sycophanta dolum perfecturus est ....“

Cum Demea id non credat, poeta Pamphilam quae domi parturit, post scaenam exclamantem facit (v. 486—87):

miseram me, differor doloribus!
Iuno Lucina, fer opem! serua me obsecro!

Quare Demea facere non potest, quin, quae Hegio dixit, credat. Idem artificium in Andria adhibetur. Simo enim quamquam colloquio Mysidis ancillae et Lesbiae obstetricis interest, Glycerium partum simulare putat. Quo temporis momento Glycerium parturiens post scaenam exclamat (v. 473):

Iuno Lucina, fer opem, serua me, obsecro!

Sane ne nunc quidem Simo sibi persuaderi patitur Glycerium re vera partum edere[1]). Neque multo post Crito senex Chrysidi cognatus Andro veniens scaenam introit, quod *in hac habitasse platea dictumst Chrysidem* (v. 796). Confitendum est illum nullo aptiore tempore advenire potuisse. Quod nullo modo melius illustrare possumus, quam Simonis his versibus allatis (v. 915—17):

hic uir sit bonus?
itane adtemperate euenit, hodie in ipsis nuptiis
ut ueniret, antehac numquam? est uero huic credundum, Chremes.

Neque aliter res se in Hecyra habet. Nam Pamphilus in scaenam progressus queritur, quantum in malum propter discordiam, quae inter Philumenam et matrem suam exstet, suae res inciderint. Dum cum Parmenone quomodo hae difficultates expediri possint colloquitur, strepitus domi Philippi factus in via auditur[2]). Colloquium quod sequitur est hoc (v. 314—19):

PAM. Tace,
trepidari sentio et cursari rursum prorsum PAR. agedum, ad fores
accede propius. em sensistin? PAM. noli fabularier.
pro Iuppiter, clamorem audiui. PAR. tute loquere, me uetas.

---

[1]) Quam scaenam poeta ipse illudere videtur, cum Simonem haec dicentum facit (v. 471—72):

Haec primum adfertur iam mi ab hoc fallacia:
hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant

et v. 474—76:

Hui, tam cito? ridiculum: postquam ante ostium
me audiuit stare adproperat. non sat commode
diuisa sunt temporibus tibi, Daue, haec.

[2]) Mirum est, quod voces domi factae in via audiuntur. Poetam tum solum eas audiri facere, cum ei opus esse videtur apertissimum est. Huc

MY. (post scaenam): tace obsecro, mea gnata. PAM. matris
nox uisast Philumenae.
nullus sum. PAR. quidum? PAM. perii e. q. s.

Deinde Pamphilus ex Parmenone Philumenam morbo affectam esse comperit. Quo nuntio sollicitatus domum introit, ubi Philumenam parturientem conspicit. Poeta igitur eam rem, quae quolibet alio tempore fieri potest, in hunc diem et in id ipsum temporis punctum, quo Pamphilus domum introit, tansfert. Qua re efficit, ut actio celeriter progrediatur neve spatium unius diei excedat. Quam ad rem probandam Phormio etiam fabula apta esse mihi videtur. Geta enim versibus 148—150 hanc discessus sui causam affert:

non certum scio,
sed epistulam ab eo adlatum esse audiui modo
et ad portitores esse delatam: hanc petam.

Nihil igitur scit nisi epistulam a Demiphone allatam esse. Ad portum currit. Sed iam post spatium sex et viginti versuum vehementer animo perturbatus, cum Demiphonem redeuntem viderit, in scaenam prodit. Nonne est mirum, quod Demipho iam nunc advenit? Neque aliter poeta agit in Chremetis adventu. Demipho enim post versum 462 scaena decessit haec locutus (v. 460—62):

Frater est exspectandus mihi:
is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.
percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.

Demipho igitur quando Chremes redeat nescit. Nihilominus ad portum it, etiamsi re vera id ita fieri verisimile non sit. Nonne casu et fortuito accidit, quod Chremes redit? Sed quin ille nunc redeat fieri non potest propter unitatem temporis.

Illud artificium, quo poeta post scaenam puellam parturientem facit, etiam apud Plautum[1]) semel invenitur. In Aulularia enim post v. 673 Lyconides et mater eius Eunomia scaenam introeunt. Lyconides, postquam matri narravit filiam Euclionis a se gravidam esse, orat atque obsecrat eam, ut animum avunculi, ne sibi obstet

---

rettulerim, quod in Mostellaria tum ipsum domi Theopropidis strepitus eduntur, cum Tranio seni de monstro narrat. Sane quidem poetae concedendum est personas semper aliqua causa ad clamorem aut strepitum faciendum incitari neque casu aut sine ulla causa clamorem tollere.

[1]) Etiam in Plocio Menandrea hoc artificium adhibitum esse narrat Gellius II, 23.

permoveat. Cui Eunomia respondet fratrem non obstaturum esse, si ea quae narraverit vera sint. Eo temporis momento poeta filiam Euclionis, quae hoc ipso die parturit, clamantem facit (v. 691—92):

perii, mea nutrix. opsecro te, uterum dolet:
Iuno Lucina, tuam fidem!

Atque is partus, qui quolibet die fieri potuit, non solum hoc ipso die[1]) fit, sed clamat illa eo ipso temporis momento, quo actioni aptissimum est.

Etiam Menander eius rationis exempla praebet. Nam in Heroe Laches senex, qui Lemnum[2]) iter fecit, hoc ipso die redit. Id colligi potest et e personarum indice, ubi Laches inter personas fabulae enumeratur, et e v. 11 periochae, quo Lachetem Plangonem et Gorgiam liberos agnoscere dicitur (εὗρεν μὲν ὁ γέρων τοὺς ἑαυτοῦ γνωρίσας). Idem dicendum est de comoedia, cuius prologus solus servatus est et a Kaibelio, Gött. gel. Anz. 1899, p. 549 sq. et a Reitzensteinio H. 35, 1900, p. 622 editus. E prologo comperimus senes duos Sosthenem et Demeam per sedecim annos a patria abesse. Neque dubium esse potest, quin hoc ipso die[3]) revertantur, ut actionem ad finem perducant. Similiter Leo[4]) in Menandri Colace patrem Phidiae hoc die revertisse suspicatur.

§ 3.

Neque id silentio praetermittendum est, quod poeta unitatis temporis observandae causa locorum et temporum intervalla ita neglegit, ut res vel intra brevius vel longius tempus geri faciat quam consentaneum est[5]).

Ut a Plauto incipiamus, in Amphitruone fabula Amphitruo, qui post v. 854 in portum abit, ut Naucratem adducat, post v. 1009 in scaenam redit haec dicens (v. 1009—14):

Naucratem quem conuenire uolui in naui non erat,
neque domi neque in urbe inuenio quemquam qui illum uiderit.
nam omnis plateas perreptaui, gymnasia et myropolia;

---

[1]) Dziatzko, Der Inh. des Georgos von Men., Rh. M. 54, 1899, p. 508, Anm. 1: „So oft in den Komödien die Schwangerschaft eines Mädchens zu erwähnen ist, fällt der Tag der Niederkunft auch mit dem der Handlung des Stückes zusammen."

[2]) Ut Leo coniecit, Der neue Men. H. 43, 1908, p. 123.

[3]) Leo, Gött. gel. Anz. 1902, p. 389.

[4]) Leo, Gött. gel. Anz. 1903, p. 687.

[5]) Cf. Felsch l. c., p. 30 sq.

apud emporium atque in macello, in palaestra atque in foro,
in medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras
sum defessus quaeritando: nusquam inuenio Naucratem.

Quae omnia hoc temporis spatio facta esse credibile non est. In Asinaria Leonida post v. 266 accurrit et Libano servo enarrat se incidisse in mercatorem, qui viginti minas, pretium asinorum emptorum, ero laturus sit, sed antea in balineas ire velit, priusquam cum pecunia adveniat. Vix Libanus cum Leonida id communicavit, cum mercator iam post v. 380 in scaenam ingreditur. Quo celerius actio progrediatur, poeta iam nunc mercatorem in scaenam inducit. Cum mercator aedibus Demaeneti appropinquet, Leonida haec dicit (v. 378—80):

ego abeo, tu iam, scio, patiere. sed quis hic est? is est,
ille est ipsus. iam ego recurro huc. tu hunc interea hic tene.
uolo seni narrare.

Contendit igitur in forum, sed spatio quinque et viginti versuum interiecto iam post v. 406 redit. Nobis quidem videtur fieri non posse, ut id tam brevi tempore faciat[1]). In Bacchidibus Pistoclerus adulescens post v. 100 scaenam relinquit, ut pro merctricibus opsonetur. Quamquam pausam quae post v. 109 exstat longiorem esse putamus, tamen nobis Pistoclerus, qui iam post v. 108 a foro emptione facta redit, celerius reverti videtur. Gravissimum eius rationis exemplum praebent Captivi. Philocrates enim post v. 452 scaena decedit, ut in Elidem ex Aetolia proficiscatur, ab Hegione iussus filium eius ibi redimere et cum eo in Aetoliam reverti. Quamquam iter ex Aetolia in Elidem longius esse quam ut intra tam breve tempus fieri possit[2]) manifestum est, Philocrates tamen iam post v. 922 una cum Philopolemo revertitur[3]). Actionem igitur, quae intra longum temporis spatium solum geri potest, intra hoc breve intervallum fieri poeta fingit. In v. 950:

---

[1]) Langen l. c., p. 102: „in der Zeit, daß 25 Verse gesprochen wurden, konnte Leonida, auch wenn der Weg nur kurz war, nicht einmal bis zum Forum gelangt sein, geschweige denn, daß alles vorhin Aufgezählte in diesem Zeitraum hätte ausgeführt werden können.“

[2]) Dietze l. c., p. 74, adn. 1: „Tempus novae comoediae poetas non ita diligenter curasse facile demonstrari potest. E. g. in Merc. inter IV 4 et IV 5 tempus non relinquitur, quo Syra ad Dorippae patrem ire indeque redire possit. Neque in Aetolo (= Capt.) aut poetam aut spectatores Athenienses accuratius observasse puto unum diem actioni agendae non sufficere.“

[3]) Cf. p. 4 sq.

ubi estis uos? heus ite actutum, Tyndarum huc arcessite Hegio iussit Tyndarum ex lautumiis ante urbem sitis arcessi. Philopolemus et Philocrates, quibuscum antea collocutus est, domum introeunt, Hegio in scaena cum Stalagmo remanet, ut de eo quaestionem habeat. Vix audivit Tyndarum filium suum a Stalagmo abreptum esse, cum poeta Tyndarum post v. 998 adduci fingit. Neque umquam aptius quam hoc momento ille catenis onustus advenire potuit. Sed species rei factae a poeta turbata est; nam ut tam brevi tempore e lautumiis huc adducatur, fieri omnino non potest. In Casina Lysidamus post v. 530 in forum abiit. Iam post v. 562 in scaenam rediens conqueritur lite cognati se retentum esse, ut diem contriverit (v. 566). Sed fieri non potest, ut ea omnia tam brevi temporis spatio fiant[1]. In Cistellaria Phanostrata domum Alcesimarchi vicini post v. 773 intrat, ut hic filiam repertam salutet. Post eum versum incipit pausa. Nam Demipho in scaenam init haec verba faciens (v. 774—76):

quid hoc negoti est, quod omnes homines fabulantur per uias,
mihi esse filiam inuentam? et Lampadionem med in foro
quaesiuisse aiunt.

Fama igitur filiae inventae per vias urbis cucurrit et Lampadio in omnes partes urbis contendit, ut erum suum quaereret. Num putare possumus pausam post v. 773 tam longam esse, ut ea omnia geri possint? In Menaechmis matrona post v. 737 Decionem servum, ut patrem suum arcessat mittit. Iam post v. 752 pater advenit. Celerius id fieri nobis videtur, praesertim cum senex ipse senectutem suam queratur (v. 753—58). Alio huius fabulae loco poeta tempus non contraxisse, sed extendisse videtur. Messenio enim post v. 445 abiit, cum erus ei mandaverit, ut servos in tabernam deversoriam abduceret, deinde sibi obviam iret. Mirum esse videtur, quod servus post v. 965 demum redit. Nam quid interea gestum est? Menaechmus diutius domi meretricis versatus est, ut e versu 476:

prandi, potaui, scortum accubui

cognoscitur. Quo facto cum servum suum convenire velit, post v. 538 scaena decedit. Sed post v. 700 in scaenam redit, quod servum non invenit haec verba faciens (v. 700—703):

---

[1]) Hoc de loco copiose etiam Langen l. c., p. 125.

nimis stulte dudum feci, quom marsuppium
Messenioni cum argento concredidi.
immersit aliquo sese, credo, in ganeum.

Ac post v. 965 demum Messenio advenit. E verbis eius (v. 986—87):

postquam in tabernam uassa et seruos conlocaui, ut iusserat,
ita uenio aduorsum

elucet eum recta via e taberna redisse. Poeta igitur, si naturam secutus esset, iam prius servum advenientem facere debebat[1]). In Pseudolo fabula Pseudolus post v. 766 in forum abit, ut Simiam de dolo certiorem factum adducat. Etiamsi post v. 766 intervallum temporis statuitur, tamen non est verisimile, quod iam post v. 904 cum Simia in scaenam init. In Rudente Plesidippus post v. 885 scaena decedit, ut Labracem lenonem in ius rapiat. Iam post v. 1264 in scaenam redit. Si cogitamus ei iter ab hoc loco in urbem faciendum esse et iudicium de Labrace longiore tempore solum fieri posse, veri est dissimillimum adulescentem iam redire. In Trinummo post v. 819 Callicles domum introit, ut thesaurum effodiat, dum Megaronides in forum abit, ut sycophantam conducat et binas litteras scribat, quae ad Lesbonicum mittantur. Sed iam post v. 842 sycophanta cum litteris advenit, quamquam post v. 820 intervallum aliquod temporis esse manifestum est. Eadem in fabula Stasimus post v. 728 scaena decedit his usus verbis (v. 727—28):

ad forum ibo: nudius sextus quoi talentum mutuom
dedi, reposcam, ut habeam mecum quod feram uiaticum.

Post v. 1007 celeriter accurrit timore commotus, quod *iam dudum factumst quom abiit domo.* Spectatoribus narrat omnia, quae eo spatio gessit: pecuniam quam amicus sibi deberet, frustra se reposcisse; redeuntem ad cauponam se deversum esse, ubi cum malevolis hominibus potaverit, quo in convivio condalium sibi furtim abreptum esse. Veri non esse simile nobis videtur ea omnia spatio trecentorum octoginta versuum facta esse, praesertim cum Stasimum non breve tempus in caupona trivisse inde eluceat, quod ebrius in scaenam redit. Sed poeta speciem rei factae propterea neglexit, quod Stasimum Charmidi, qui solus in scaena remansit, occurrere et spectatores colloquio ridiculo inter eos voluit interesse[2]).

---

[1]) Cf. Langen l. c., p. 155.

[2]) Alia huius rationis exempla Plautina affert Langen l. c., p. 109, 153.

Etiam apud Terentium multa huius rationis exempla inveniuntur. In Adelphis Geta post v. 298 in scaenam progrediens haec ad Sostratam verba facit (v. 328—29):

neque id occulte fert, a lenone ipsus eripuit palam.

Sostrata quaerit:

Satine hoc certumst?

Cui Geta respondet:

Certum; hisce oculis egomet uidi, Sostrata.

Quibus e verbis eum raptui meretricis interfuisse satis apparet. Raptum ante fabulae initium factum esse ex eo cognoscitur, quod Demea post v. 80 a foro adveniens, ubi ei facinus narratum est, in scaenam prodit. Quae cum ita sint, qui quaeso fit, ut Geta nunc demum post v. 298 domum veniat? Kauer[1]) existimat Getam ideo tam sero advenire, quod interea merces emit. Sed nihil eum emisse audimus. Adde quod Getam qui rem maximi momenti ad eram pertinentem conspexerit, quam primum ad dominam festinaturum neque antea leves res quas postea pari modo facere potuit facturum esse expectaveris. Neque aliter Spengel[2]): „Aber warum sollte Geta den das Mädchen mit sich schleppenden Aeschinus nicht bald nach seinem Fortgang aus dem Hause der Sostrata auf der Straße getroffen haben und dann seinen Geschäften nachgegangen sein, die bei dem servus non malus neque iners (441: alit illas, solus omnem familiam sustentat) leicht soviel Zeit in Anspruch nehmen konnten, daß er erst nach Aeschinus nach Hause kam?“ Immo si Geta in Aeschinum prope domum incidit, nonne veri est simile statim eum rediturum et cum domina id communicaturum esse? Nos quidem censemus poetam idcirco nunc demum Getam in scaenam producere, quod prius facere non poterat. Cum enim Getae sit rem ab Aeschino gestam dominae nuntiare et Sostrata post v. 287 domo prodeat, ille non prius quam Sostrata scaenam introire potest. Eo, quod poeta contaminatione extremam partem raptus meretricis fabulae innexuit, cessatio Getae multo magis mira videtur; nam Geta etiam ante Aeschinum advenire potuit. Sed contaminatione sola retardatio Getae non explicatur. Nam Geta etiam sero advenit, etsi raptus in scaena non agitur, quoniam Demea iam v. 81 de raptu certior factus scaenam init et Geta etiam ante Demeam ad dominam currere potuit. Poeta igitur hoc loco temporis spatium

[1]) Adelphi, p. 18. — [2]) Adelphi, p. 172.

non contraxit, sed extendit. Atque hac in fabula poeta saepe ea ratione usus est. Ut cetera praeteream[1]), Demea post v. 510 scaena decedit, ut fratrem conveniat. Sed iam post v. 539 redit his usus verbis (v. 540):

> ne ego homo sum infelix: fratrem nusquam invenio
> gentium.

Sed fieri non potest, ut intra spatium triginta versuum ea omnia gesserit. Nam putandum est illum ad forum isse ibique fratrem quaesivisse et postquam eum nusquam invenerit, domum fratris revertisse. Sed denuo Demea abit, ut fratrem quaerat ea via, quam Syrus ei ita indicavit (v. 573—84), ut quam diutissime a scaena absit. Nihilo minus iam post v. 712 redit. Viam quam Syrus eum docuit se isse ipse dicit his verbis (v. 713—18):

> defessus sum ambulando: ut, Syre, te cum tua
> monstratione magnus perdat Iuppiter!
> perreptaui usque omne oppidum: ad portam, ad lacum,
> quo non? neque illi fabrica erat nec fratrem homo
> uidisse se aibat quisquam. nunc uero domi
> certum obsidere est usque, donec redierit.

Etiam ex Andria, ne plura dicam, pauca eligam. E versibus enim 228—233 Pamphilam parturire comperimus. Mysis mittitur, ut obstetricem arcessat, quae post v. 458 apparet. Post v. 467 utraque domum introit. E v. 473:

> Iuno Lucina, fer opem, serua me obsecro!

Glycerium partum edere colligendum est. Post septem versus obstetrix iam domo exit et nuntiat (v. 486):

> per ecastor scitus puer est natus Pamphilo.

At quis umquam mulierem tam celeriter parere audivit quam Andria parit, ut actio quam celerrime progrediatur? In Eunucho Thais, postquam Chaeream qui Eunuchum se esse simulat, post v. 491 domum abduxit, post v. 499 domo exit. Ex quo tempore Chaereae libere agendi potestas data est. Cum iam post v. 549 foras erumpat, domi quinquaginta versuum spatium remansit. Quid interea factum est? Lavatio apparatur; Pamphila lavatur; dormitum se confert; Chaerea flabello ventulum obdormiscenti facit; denique cum ea rem suam habet. Quae omnia intra quinquaginta versuum spatium geri non posse concedendum est, etiamsi

---

[1]) De alio exemplo vide Köhler l. c., p. 17, adnot. 2 et Lindskog, l. c., misc. p. 22.

post v. 506 et post v. 538 pausas statuimus. Post v. 538 Dorias cum Chremete ad Thrasonem militem iit, ubi parti convivii interest. Deinde redit et post v. 614 scaenam init. Neque credere possumus ea omnia, quae in versibus 515—628 narrat intra tam breve tempus fieri. Neque magis adducimur, ut Phaedriam adulescentem, qui a v. 225 usque ad v. 629 a scaena abest, intra id temporis spatium urbem relinquere, villam praeterire, postremo in urbem reverti putemus[1]). In Hecyra Pamphilus reversus post v. 326 domum Philumenae intrat, ut quem in morbum illa inciderit quaerat. Quod vidit, eum graviter afflixit. Post v. 351 domo exit. Soliloquio quid sibi domi acciderit narrat. Colloquium solum, quod cum socru domi habuit, undeviginti versus continent. Sed omnino domi remansit quinque et viginti versuum spatium. Neque igitur veri est simile omnia cetera intra quattuor versuum spatium fieri. In Phormione iure mireris, quod Geta, qui post v. 310, ut Phormionem a foro arcessat, scaena decedit, iam post v. 315 in scaenam redit. Nam quamquam post v. 314 pausa statuenda est, tamen ut Geta ea pausa intercedente iter a domo Demiphonis usque ad forum bis conficiat fieri non potest. Accedit quod Phormionem ab illo in itinere quid interea factum sit certiorem fieri putandum est. Quam nostram sententiam confirmat, quod Donatus[2]) ad v. 315 adnotat: *Adhuc narratur fabula de Terentio et Ambivio ebrio, qui acturus hanc fabulam, oscitans temulenter atque aurem minimo inscalpens digitulo hos Terentio pronuntiavit versus, quibus auditis exclamaverit poeta se talem, cum scriberet cogitasse parasitum, et ex indignatione, quod eum saturum potumque deprehenderat, delenitus statim sit.* Phormo igitur, si ebrius fuit, festinare non potuit. Neque domum Demiphonis prope ad forum sitam esse putandum est. Nam Demipho post v. 314 domum intrat his usus verbis (v. 311—14):

ego deos penatis hinc salutatum domum
deuortar; inde ibo ad forum atque aliquod mihi
amicos aduocabo ad hanc rem qui adsient
ut ne inparatus sim, si ueniat Phormio.

Intrat igitur domum et deos penates precatus in pausa post v. 314 statuenda ad forum it. Cum Geta iam post v. 310 scaena

---

[1]) Vide Köhler l. c., p. 17, adnot. 2.

[2]) In editione Wessneriana II, p. 426.

decesserit, alterum alteri occursurum fuisse putandum est, si scaena prope forum fuisset.

§ 4.

Praeterea poeta actiones, quae intra unum diem finiri non possunt, iam ante initium fabulae incipi facit.

Ut exemplo utar, in Curculione Phaedromus adulescens iam ante longius tempus Curculionem parasitum Cariam[1]) misit; ea re efficitur, ut hodie Epidaurum reverti possit. In Rudente leno iam heri in altum provectus est, quare fieri potest, ut hodie mane navis et homines, qui ad actionem fabulae magni momenti sunt, in litus eiciantur. In Disceptantibus Menandri poeta iam prius infantem a Davo inveniri facit. Itaque fieri potest, ut hodie scaena illa disceptantium duorum oculis spectatorum subiciatur.

Eodem pertinet, quod quo celerius actio progrediatur, poeta saepissime personas eo temporis momento in scaenam producit, quo actioni aptissimum esse videtur, quamquam personae etiam alio quolibet tempore in scaenam prodire possunt.

Ut unum ex permultis exemplis afferam, in Aulularia Eunomia fratri Megaronidi persuadere studet, ut uxorem ducat. Megaronides dicit se id facere paratum et filiam Euclionis vicini in matrimonium ducturum esse. Cum iam hodie nuptias facere velit, statim Euclionem conventurus est. Ne actio retardetur, poeta eo ipso temporis momento Euclionem a foro advenientem fingit, quamquam omnino non est, cur nunc in scaenam procedat. Ut Terentiano quoque exemplo utar, vix Micio initio Adelphorum quae spectatores comperire necesse est dixit, cum Demea scaenam introit. Qua in re poeta uti solet verbis[2]) talibus (v. 78—82):

---

[1]) König (Quaest. Plautinae, progr. Patschkau 1883, p. 8) et Hüffner (De Plauti comoediarum exemplis Atticis quaest. maxime chronologicae, diss. Gott. 1894, p. 18) Cariam non terram, sed oppidum aliquod prope Epidaurum situm significare putant. Causis ab Hueffnero allatis mihi persuaderi non patior. Quicunque scit, quam non diligenter poeta loca in fabulis descripserit (cf. Amphitruonem) et quam et locorum et temporum spatia neglexerit, non dubitabit, quin hac in fabula Caria Asiae terram significet. Sane quidem de oppido aliquo Cariae cogitari necesse est similiter atque in Captivis locum fabulae in oppido aliquo Aetoliae cogitari necesse est.

[2]) Cf. p. 104 sq.

MI. sed estne hic ipsus, de quo agebam? et certe is est.
nescioquid tristem uideo: credo, iam ut solet
iurgabit. saluom te advenire, Demea,
gaudemus. DE. ehem, opportune: te ipsum quaerito.

Simile exemplum praebet Menandri Samia. Nam Demea postquam domi infantem esse Moschionis filii casu audivit, e Parmenone servo quid verum sit quaerere vult. Quo temporis momento poeta Parmenonem a foro advenientem facit. Demea ubi eum conspexit, haec dicit (v. 65—67):

ἀλλ' εἰς καλὸν γὰρ τοῦτον εἰςιόνθ' ὁρῶ
τὸν Παρμένοντ' ἐκ τῆς ἀγορᾶς · ἐατέον
αὐτὸν παραγαγεῖν ἐστι τοῦτον οἴκαδε.

Atque haec quidem hactenus; restat, ut quibus artificiis adhibitis poetae loci unitatem observaverint disquiramus.

B. Quibus artificiis usi poetae loci unitatem observaverint.

§ 5.

Ac primum quidem poeta efficit, ut personae, quae in sequentibus scaenis vel adsint vel absint necesse est, quibuslibet de causis[1]) in scaenam prodeant aut de scaena recedant[2]).

Nam in Plauti Amphitruone Alcumena post v. 881 his usa verbis[3]) in scaenam procedit (v. 882—84):

durare nequeo in aedibus. ita me probri,
stupri, dedecoris a uiro argutam meo!

Cum ei a marito tantum opprobrium crimini datum sit, tam commota perturbataque est, ut in plateam prodeat, ubi vehementibus verbis iram effundere velit. Sed num id veri est simile? Nonne magis consentaneum esse videtur eam, cum matrona sit, domi remanere et de eis rebus domi loqui? In Bacchidibus Lydus post v. 367 domo Bacchidis erumpit haec exclamans (v. 368):

pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, opsecro.

Si quis haec verba audit, credat Lydum breve tempus tantum

---

[1]) Cf. Dietze l. c., p. 76, adn. 2.

[2]) Ut in aliis artificiis, ita in hoc artificio tragoediam exemplar esse videmus. Cf. Felsch l. c., p. 33 sq., 59 sq.

[3]) Soliloquium ab Alcumena habitum est in numero eorum soliloquiorum, quae affectu aliquo efficiuntur. Cf. de ea re Leo, Der Monolog im Drama, p. 72.

apud meretricem versatum et eo, quod intus conspexit tantopere offensum, ut statim ex aedibus erumperet. Sed iam post v. 169 una cum Pistoclero introiit. Is post v. 177 iam domum reliquit, Lydus autem in aedibus remansit. Cur non cum Pistoclero exit? Tum demum poeta eum domo erumpentem facit, cum in scaena adsit necesse est. Initio Captivorum Hegio post v. 109 domo sua progreditur iturus ad fratrem, ut ipse dicit (v. 126—127):

ego ibo ad fratrem ad alios captiuos meos,
uisam ne nocte hac quippiam turbaverint.

Sed priusquam scaena decedat, ut id faciat, Ergasilus parasitus eum moratur colloquium cum eo incipiens. Colloquio finito eum id quod voluit facturum esse exspectamus. Sed frustra exspectamus. Hegio enim miro modo domum redit hanc causam proferens (v. 192—195):

ibo intro atque intus subducam ratiunculam,
quantillum argenti mi apud tarpezitam siet.
ad fratrem, quo ire dixeram mox iuero.

Videmus igitur Hegioni non tantopere cordi fuisse ad fratrem ire, cum nunc subito hanc inanem causam afferat[1]). Deinde postquam captivorum in scaena colloquium finitum est, poeta Hegionem rursus domo exeuntem facit his usum verbis (v. 251—52):

iam ego reuortar intro, si ex his quae uolo exquisiuero.
ubi sunt isti quos ante aedis iussi huc produci foras?

Postquam e captivis quaestionem habuit, quid facit? Oblitus quod paulo ante dixit, non domum redit, sed ad fratrem abit. Post v. 194 domum ingreditur, quod colloquio captivorum interesse non debet. Itaque poeta efficit, ut Hegio qualibet causa usus domum redeat. Colloquio captivorum finito in scaenam prodit, quippe quem hic adesse iterum necesse sit. In Epidico Stratippocles et Chaeribulus post v. 319 domo progrediuntur; Stratippocles hanc causam exeundi profert (v. 320—23):

exspectando exedor miser atque exenteror,
quomodo mi Epidici blande dicta euenant.
nimis diu maceror: sitne quid necne sit
scire cupio.

---

[1]) Leo, Plaut. Forsch., p. 185: „Denn der Gang zum Bruder, der nachher wichtig wird, unterbleibt vorläufig: die vorher ausgesprochene Absicht ist nur eine schwächliche Motivierung für Hegios Auftreten". Cf. etiam Dietze l. c., p. 76, adnot. 2.

Exspectamus eum re vera aliquid facturum esse, ut incerta faciat certa. Sed nihil fit. Stratippocles et Chaeribulus in scaena remanentes inter sese colloquuntur. Poetae enim interest eos in scaenam producere. In Poenulo, cum Milphio post v. 816 domo progreditur, eum haec loquentem audimus (v. 817):

exspecto quo pacto meae techinae processurae sient.

Quam causam allatam esse vanam facile intellegi potest. Nam postquam Agorastocles et Milphio post v. 608 introierunt, Agorastocles post v. 709 domo evocatur, Milphio remanet. Post v. 808 Agorastocles fraude Lyco facta in aedes redit. Quaerimus, cur Milphio Agorastoclem non interroget, quemadmodum dolus sit peractus? Plane veri non simile videtur Milphionem domo prodeuntem nunc demum in platea exitum fraudis comperire conari, cum id iam pridem in aedibus facere potuerit. Sed hic quidem facile conicitur hanc scaenam a Plauto interpositam esse, ut duae partes fabulae contaminatae coniungantur[1]). In Menaechmis post v. 465 Menaechmus II domo Erotii prodit, ut pallam a meretrice sibi traditam ad phrygionem ferat. Neque tamen statim abit, ut est exspectandum, sed poeta eum ante aedes in platea subsistentem facit. Cur id fecerit, ex eis quae sequuntur cognoscitur. Etenim ancilla meretricis post v. 523 domo exit haec ad Menaechmum II verba faciens (v. 524—27):

Menaechme, amare ait te multum Erotium,
ut hoc una opera ad auruficem deferas,
atque huc ut addas auri pondo unciam
iubeasque spinter nouom reconcinnarier.

Sed nos quidem quaerimus: unde Erotium eiusque ancilla Menaechmum nondum abisse et ante aedes sciunt adesse? Cum ille domo excedens haec dixerit (v. 466—68):

potine ut quiescas? ego tibi hanc hodie probe
lepideque concinnatam referam temperi.
non faxo eam esse dices: ita ignorabitur,

mulieribus exspectandum est eum iam pridem abire coepisse. Quae cum ita sint, consentaneum est ancillam, quippe quae ignara sit, utrum Menaechmus iam abierit necne, domo egressam perspicere, si forte ille etiam ante aedes remanserit. Neque tamen id facit, sed domo procedens statim verba, quae supra protulimus, dicit. Itaque manifestum est poetam idcirco illum

---

[1]) Cf. Langen l. c., p. 181 sq.

remanentem facere, quod in sequenti scaena adsit necesse est. In extrema parte fabulae Menaechmus I a socero et medico demens putatur. Medicus senem servos arcessere, qui aegrum ad se deferant iubet. Deinde post v. 956 uterque abit. Credimus Menaechmum, qui nunc solus in scaena versatur, bona occasione usum evasurum, sed remanens haec dicit (v. 963—65):

quid ego nunc faciam? domum ire cupio: uxor non sinit;
huc autem nemo intromittit. nimis prouentum est nequiter.
hic ero usque; ad noctem saltem, credo, intromittar domum.

Ac primum videtur mirum, quod domum suam intrare haudquaquam conatur. Quamquam uxor ei haec minata est (v. 642):

nam domum numquam introibis, nisi feres pallam simul,

tamen ei saltem conandum esse, si forte domum suam introire possit, censemus. Deinde ei licet domum Erotii ire. Neque enim multo post, post v. 1049, re vera domum Erotii intrat. Id quod paulo post facit, nunc aeque facere potest. Sed cum eum coram spectatoribus Messenionem convenire poeta velit, eum in scaena remanentem facit. In Milite Glorioso Periplectomenus post v. 595 domum intravit his usus verbis (v. 592—95):

redeo in senatum rusus; nam Palaestrio
domi nunc apud me est, Sceledrus nunc autemst foris:
frequens senatus poterit nunc haberier.
ibo intro: ne, dum absum † multae sortitae fiat.

Et videtur nobis esse consentaneum tale consilium in interiore domus parte haberi. E verbis Palaestrionis (v. 612):

sed uolo scire: eodem consilio, quod intus meditati sumus,
gerimus rem?

colligendum est consilium re vera domi habitum esse. Sed post v. 595 Palaestrio in plateam prodit hanc afferens causam (v. 596—98):

cohibete intra limen etiam uos parumper, Pleusicles,
sinite me prius prospectare, ne uspiam insidiae sient
concilium quod habere uolumus.

Palaestrio postquam plateam desertam vidit, socios suos domo excedere iubet. Domo igitur egrediuntur eo consilio, ut ante aedes consilium pergant. Sed quid? Nonne absurdum videtur consilium quod nullo alio loco aptius habetur nisi in aedibus, in platea haberi? [1])

---

[1]) Cf. K. H. Weise, Die Kom. des Plautus, Quedlinburg 1866, p. 139. Sane quidem ratio quam is diiudicando init, ridicula videtur. Nam e talibus

Hac in re manifestum est poetam cum res domi peragendas ante oculos spectatorum ponere non possit, ea de causa consilium in plateam transtulisse, ut spectatores illi consilio intersint[1]). In Persa Dordalus subito domum introit haec faciens verba (v. 722—23):

attat! oblitus sum intus dudum edicere,
quae uolui edicta . adserua hanc.

Nobis quidem exspectandum est magnum aliquid quod oblitus sit, nunc eum imperare velle. Sed quid imperat? Dordalus ipse nobis id dicit, cum iam post v. 730 iterum domo exit (v. 731—32):

transcidi loris omnis adueniens domi.
ita mihi supellex squalet atque aedes meae.

Nonne exspectavimus aliud? Nihil narrat de ea re, quam se oblitum esse dixit. Verba eius inania sunt, nedum fieri possit, ut spatio septem versuum interposito id quod dicit gesserit. Sed consilium poetae perspicuum est: cum Dordalus in scaena adesse non debeat, dum Toxilus Saturionem parasitum domo evocat, poeta eum quocunque modo de scaena removet. Postquam Saturio in scaena apparuit, leno in scaena adsit necesse est, quoniam fraus quae in Dordalum struitur nunc in scaena incipitur. In Truculento Diniarchus post v. 205 domum Phronesii intrat, cum Astaphium ei imperaverit, ut ibi Phronesium se lavantem opperiretur. Sed iam post v. 321 domo procedit indignationem suam his verbis demonstrans (v. 322—25):

piscis ego credo, qui usque dum uiuont lauant,
minus diu lauare quam haec lauat Phronesium.
si proinde amentur, mulieres diu quam lauant,
omnes amantes balneatores sient.

(v. 327—30):

quin hercle lassus iam sum durando miser:
mihi quoque prae lassitudine opus est ut lauem.
sed opsecro hercle, Astaphium, i intro ac nuntia
me adesse, ut properet † suade, iam ut satis lauerit.

Nos quidem censemus ei non esse, cur indignetur. Nam spatium centum duodecim versuum eam opperiri, quae amatur, non longius

---

rebus audacter concludit fabulam non Plauti, sed spuriam esse. Cf. p. 79: „Der echte Meister Plautus konnte nur Harmonisches, nur Vernünftiges, nur Logisches, nur relativ Richtiges dichten".

[1]) Leo, Plaut. Forsch., p. 163: „Die Verhandlung findet natürlich, da das Publikum sie anhören soll, vor dem Hause statt".

iusto videtur. Sed cum poeta actionem in interiorem domum transferre non possit, necesse est et eum et Phronesium domo exeuntes faciat. Ex hoc loco etiam cognosci potest, quemadmodum poeta efficiat, ut Phronesium quoque domum relinquat. Nam Diniarchus postquam in plateam processit, iubet Astaphium ancillam dominae dicere se adesse. Quamquam magis consentaneum est Astaphium adulescentem domum ad se revocare, illa ipsa ex aedibus exit.

Apud Terentium quoque hanc rationem adhibitam invenimus. Nam in Adelphis Sostrata et Canthara domo prodeunt, ubi Pamphila parturiens versatur. Sostrata queritur, quod sola sit. Neminem se habere, qui obstetricem et Aeschinum arcessat. At obliviscitur Cantharam adducere posse obstetricem. Omnino Sostratam domi aegrotae Pamphilae adesse neque eam deserere par est. Sed si ita esset, scaena in interiorem domum transferenda erat, id quod poeta facere non potuit. Nam Sostrata ideo domo exit, ut Getam conveniens per eum de Aeschini facinore certior fiat. Postquam Geta apparuit et omnia narravit, illa Cantharam ut obstetricem arcessat mittit, id quod iam dudum facere potuit. Poeta igitur mulieres in scaenam producit, quod eas in scaena esse necesse est. Demea post v. 140 collocutus cum Micione ad forum abiit, ubi *Ctesiphonem filium una fuisse in raptione cum Aeschino* audit. Rursus in scaenam progreditur hanc afferens causam (v. 359—61):

> ubi ego illum quaeram? credo abductum in ganeum
> aliquo: persuasit ille inpurus, sat scio.
> sed eccum Syrum ire uideo: iam hinc scibo ubi siet.

Quaeritat igitur filium et opportune ei occurrit Syrus, quem de hac re interrogare vult. Nos quidem causam ab eo allatam a poeta ad hoc ipsum excogitatam esse censemus; neque enim veri est simile eum tum demum, cum iterum ad forum abierit, Ctesiphonem una in raptione fuisse comperisse. Sed Ctesiphonem omnino raptioni non interfuisse e verbis quae Ctesipho et Aeschinus v. 254—287 faciunt colligi potest. Spengel[1]) haec adnotat ad v. 356: „Wiewohl Ctesipho in der Scene II, 1 nicht anwesend war, kann er doch seinen Bruder zum Hause des leno geführt haben, kann sogar im Hause selbst gewesen sein, von wo er sich aber, nachdem er ihm gezeigt, welches seine Geliebte sei, rasch

[1]) Adelphi², p. 70.

entfernt haben wird, um den Verdacht von sich abzuwenden". Immo vero Ctesipho raptioni non interfuit. Sed poeta fictam causam afferens Demeam in scaenam producit, quod illum in sequentibus scaenis adesse necesse est. Post v. 756 Micio domum intrat haec locutus (v. 757):

ego hos conuenio; post huc redeo.

Demeam ante domum relinquit. Nonne veri est similius etiam Demeam domum intrare sive suam sive fratris? Sed ille in scaena remanet, ut Syrum conveniat. Neque aliam rationem poeta secutus est in Andria fabula componenda. Mysidi enim ut Lesbiam Glycerio parturienti adducat mandatur. Mandatum non modo non celeriter exsequitur, sed etiam in scaena moratur. Nam Pamphilum conspiciens haec loquitur (v. 235):

opperiar, ut sciam num quidnam haec turba tristitiae adferat.

Usque ad v. 266 longum Pamphili soliloquium audit et post v. 300 demum de mandato cogitans de scaena decedit. Videmus igitur poetam mandato Mysidis usum esse, ut illam in scaenam produceret. Mysis post v. 683 domo prodit his usa verbis (v. 684—85):

iam ubi ubi erit, inuentum tibi curabo et mecum adductum
tuom Pamphilum: modo tu, anime mi, noli te macerare.

Cum Pamphilo ante domum versante quid domina optet communicat. Pamphilus post v. 707 domum intrat, Mysis ante domum remanet. Cur Mysis illum non secum adducit? Cur in scaena remanet? Tacita colloquio Davi et Charini interest. V. 714 Davus Mysidem alloquitur:

tu, Mysis, dum exeo, parumper me opperire hic.

Nunc intellegimus Mysidem ideo in scaenam progressam esse, quod eam in sequentibus scaenis Davum adiuvare necesse est. Pamphilum domum intrantem facit poeta, cum scaenam sequentem turbare possit. Sed iure mireris, quod Pamphilus Davum puerum recens natum domo efferri patitur. Atque Davus, postquam Chremetem quominus Pamphilo filiam daret deterruit, domum Glycerii intrat haec dicens (v. 819):

sequar hos: me nolo in tempore hoc uideat senex.

Id credibile est; nam Simonem succensurum esse satis apparet. Quae cum ita sint, nonne mirum est, quod iam tam brevi tempore timorem suum oblitus spatio unius et viginti versuum intermisso domo procedit et in Simonem incidit? Sed intellegimus

poetae consilium. Davum ideo in scaenam procedentem facit, quod in hac scaena necessarius est. Atque in extrema fabula Pamphilus postquam cum patre Simone in gratiam rediit, non domum ad Glycerium intrat, sed in scaena remanet. Nam Charinus scaenam introit, quocum Pamphilus mutatam rem communicat. Quo fit, ut Charini res ad felicem finem perducatur. Pamphilus igitur non prius domum intrare potest quam in extrema scaena partes suas egit. In Hautontimorumeno Syrus, postquam ei mandatum est, ut Antiphilam adduceret, redit hanc cur mulieres reliquerit causam afferens (v. 242):

uerum interea, dum sermones caedimus,
illae sunt relictae.

Quam causam veri non esse similem satis apparet. Sed poeta mulieres relictas facit, ut illis absentibus Syrus quid domi Antiphilae viderit cum Clinia communicare possit. Quibus rebus factis eas in scaenam producere non cunctatur. Atque simile exemplum alio huius fabulae loco invenimus. Sostrata enim post v. 613 una cum nutrice Canthara scaenam init eo consilio, ut virum ante domum opperiatur (v. 619). Quid? Veri nonne est similius illam domi virum exspectare quam ante domum? Recte quidem; neque tamen ita Sostrata coram spectatoribus se filiam agnovisse narrare poterat. Post v. 834 Clitipho et Syrus argento a Chremete accepto introeunt haec ad Chremetem loquentes (v. 833—34):

tu hic nos, dum eximus, interea opperibere;
nam nil est illic quod moremur diutius.

Neque intellegere possumus, cur Chremes foris eos exspectet neque una cum illis domum intret, nisi putamus Chremetem in sequentibus scaenis locum retinere necesse esse. Re vera usque ad extremam fabulam ante domum versatur. Neque Hecyra ab ea ratione discedit. Laches enim, qui rure in urbem advenit, ut simultatem inter uxorem et Philumenam exstantem componeret, iratus cum Sostrata uxore colloquens domo exit. Ut e v. 273:

nam est quod me transire ad forum iam oportet

cognosci potest iturus est ad forum. Quae causa vana esse videtur. Nam cum heri Laches in urbem venerit, nonne veri est similius eum heri iam de eis rebus, quae ei maxime curae sunt, cum uxore collocutum esse quam hodie eo temporis momento, quo iturus est ad forum? Sed poeta cum eam scaenam ante spectatorum oculos agi velit, quamlibet causam affert, ut

Laches in scaenam procedat. In Phormione Demipho, postquam advocatos consuluit, scaena decedit haec dicens (v. 460—62):

frater est exspectandus mihi:
is quod mihi dederit de hac re consilium id sequar.
percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat.

Quam causam poeta ideo eum afferentem facit, quod, quoniam Antiphonem convenire non debet, Demiphonem scaena recedere necesse est. At causa abitus veri non est similis. Neque enim ullo loco antea eum hodie fratrem exspectare narratum est. Nonne forte fortuna accideret, si hac hora fratrem redeuntem conveniret? Cur non domum it et servum ad portum mittit? Sed cum Antipho mox in scaenam prodeat et domum patris intret, poeta facere non potuit, quin Demiphonem a scaena et domo amoveret. Neque aliter res se habet alio huius fabulae loco. Nam post v. 795 domo prodit Chremes, qui postquam Pamphilam filiam agnovit, quominus Phormioni argentum det, fratrem impedire vult. Sed cum Nausistratam uxorem cum fratre colloquentem conspiciat, ne de hac re loquatur timet, donec Nausistrata a Demiphone domum mittitur (v. 813). Nunc demum cum fratre communicat se gnatam invenisse filii eius uxorem. Interroganti qui id factum sit respondet (v. 818):

non satis tutus est ad narrandum hic locus.

Uterque intro abit. Quam causam a Chremete allatam esse inanem, vel ex eo cognosci potest, quod iam antea v. 713—765 his de rebus ante domum collocutus erat. Sed cum in sequenti scaena Antipho appareat, Chremeti et Demiphoni de scaena decedendum est.

Quam rationem etiam apud Menandrum adhibitam invenimus. In Epitrepontibus Habrotonon flens domo proruit haec verba faciens (v. 213):

ἐᾶτέ μ', ἱκετεύω σε, καὶ μή μοι κακὰ
παρέχετ'.

Habrotonon igitur domo aufugit, quia intus aspere tractatur. Planum est poetam ideo solum illam prodeuntem facere, quod in scaena necessaria videtur. Nam una cum Onesimo init illud consilium, quod actioni magni momenti est. Consilio capto statim domum intrat prorsus non curans iniuriam ante acceptam. Postea Habrotonon consilio peracto rursus domo prodit hanc afferens causam (v. 374—75):

ἔξειμ' ἔχουσα. κλαυθμυρίζεται, τάλαν!
πάλαι γὰρ οὐκ οἶδ' ὅ τι κακὸν πέπονθέ μοι.

Puerum vagientem manibus tenet et conatur eum sedare. Eodem tempore etiam Sophrona domo Smicrinis proruit animo commota (v. 376):

τίς ἂν θεῶν τάλαιναν ἐλεήσει ἐμέ;

Manifestum est utramque idcirco in scaenam prodire, quod per eas efficitur, ut Pamphila mater infantis cognoscatur.

§ 6.

Nec minus saepe personae ne causa quidem allata scaenam ineunt, tamquam hunc ipsum locum aptissimum ad res peragendas esse manifestum sit[1]).

In Amphitruone Alcumena post v. 626 domo in plateam progreditur, ubi solitudinem suam queritur. Num veri est simile matronam in platea talem in modum secum dicere? Sed illa maritum e portu advenientem ante aedes convenire debet. In Asinaria Cleareta et filia eius Philaenium post v. 503 domo egrediuntur. Cleareta filiam vituperat, quod Argyrippo nimis obsequatur. Postquam inter sese altercatae sunt, domum redeunt. Hac in re vel optime cognosci potest poetam nulla alia causa nisi ut spectatores colloquium audiant, mulieres scaenam ineuntes facere, cum actionem domum transferre non possit[2]). In Aulularia Lyconidis servus post v. 712 scaena decedit, ut aurum effossum domum abdat. Post v. 807 in scaenam redit haec loquens (v. 808—10):

di inmortales, quibus et quantis me donatis gaudiis!
quadrilibem aulam auro onustam habeo; quis me est ditior?
quis me Athenis nunc magis quisquam est homo quoi di sint propitii?

Videmus eum nullam cur hunc locum adeat causam proferre. Nonne est multo veri similius eum, cum tantum incommodum

---

[1]) De hoc artificio in tragoedia adhibito vide Felschium l. c., p. 36 sq., 72 sq.

[2]) Dziatzko, Zur Aulularia des Plautus, Rh. M. 37 (1882), p. 262, Anm. 2. „Es ist in der Palliatkomödie nichts seltenes, daß vertraute Besprechungen nicht ins Innere, sondern vor die Thür des Hauses verlegt werden, die Bewohner desselben zu einer solchen Beratung auf kurze Zeit aus dem Hause treten und nachher sich in dasselbe zurückbegeben. Um nur ein Beispiel anzuführen, kommt Asin. 504 Cleareta mit ihrer Tochter Philaenium zu keinem andern Zweck aus ihrem Hause, als um ihr Verhaltungsmaßregeln für ihr Benehmen gegen Argyrippus zu geben. Am Ende der Szene gehen beide in ihr Haus zurück“.

Euclioni attulerit, hunc locum longe fugere? Tamen in scaena apparet, quippe qui in sequenti scaena adesse debeat. In Bacchidibus Mnesilochus valde commotus post v. 611 e domo meretricum egreditur et in platea soliloquio magnam suam desperationem exprimit. Cur domum relinquit et cur in platea consistit? Quod in sequentibus scaenis actioni eum interesse necesse est. In Captivis Ergasilus parasitus post v. 191 scaena decedit, ut alicubi cenam meliorem, quam Hegio ei praebere vult nanciscatur. Cum bonam cenam adipisci frustra conatus sit, poeta eum in scaenam redeuntem facit nulla alia causa commotus, nisi ut spectatores id comperiant. Ergasilus adveniens in platea subsistit et spectatoribus quomodo epulas adipisci studuerit enarrat. Fine soliloquii facto his usus verbis abit (v. 496—97):

nunc ibo ad portum hinc: est illic mi una spes cenatica;
si ea decollabit, redibo huc ad senem ad cenam asperam.

In Casina Olympio post v. 308 domum relinquit, quamquam nullam eius rei causam habet. Sed poeta eum prodeuntem facit, quod Olympionem una cum Chalino Casinam uxorem coram spectatoribus sortiri vult. Post v. 530 Cleostrata domo procedit nullam causam afferens. Cum scaena in interiorem domum transferri non possit, Cleostrata in platea Alcesimum post v. 538 scaenam ineuntem conveniat necesse est. Post v. 758 Pardalisca ancilla nulla alia de causa in scaenam prodit, nisi ut spectatoribus quid domi fiat enarret. In Cistellaria post v. 542 Phanostrata ex aedibus progreditur, quod cum poeta unum locum teneat, Lampadiscus eam non domi, sed coram spectatoribus convenire debet. In Epidico Periphanes post v. 384 in scaena apparet, ubi usque ad v. 393 de moribus senum loquitur. Soliloquii finem facit his verbis (v. 394—96):

sed meus sodalis it cum praeda Apoecides.
uenire saluom mercatorem gaudeo.
quid fit?

Hac in re optume intellegere possumus, qua ratione personas in scaenam producendi poeta utitur. Nam facit, ut personae domo procedentes aut aliunde advenientes de aliqua re loquantur, donec eas personas, quae iam in scaena adsunt, conveniunt. Ita fit, ut actio quae sequitur ante aedes peragi possit. In Menaechmis Menaechmus II post v. 881 abit, ut medicum a sene arcessitum effugiat. Postquam scaenam reliquit, occurrit ei Messenio servus. Nunc expectamus Menaechmum II cum servo statim in tabernam

se collaturum esse, quoniam ei, ne in scaenam redeat, timendum est. Sed quid facit? Nullam causam afferens cum Messenione in scaenam redit, cum illos in scaena adesse necesse sit. In Mostellaria Philolaches adulescens post v. 83 domum relinquens in plateam procedit nullam causam proferens. In platea secum loquitur, id quod aptius in interiore domo fieri putamus. Sed cum poeta scaenam non mutet, aliter fieri non potest. In Persa Toxilus cum Sophoclidisca, quae ei ab amica epistulam attulit, post v. 301 domo prodit. Postquam iam domi responsum dedit, eam foras comitatur simul haec dicens (v. 301—3):

paratum iam esse dicito, unde argentum sit futurum.
iubeto habere animum bonum, dic me illam amare multum;
ubi se adiuvat, ibi me adiuvat. quae dixi ut nuntiares,
satin ea tenes?

Sophoclidisca abit, sed quid facit Toxilus? Non redit domum, sed cum Sagaristione, qui iam in scaena stat, colloquium incipit. Post v. 399 scaenam init Dordalus leno. Ne in scaena solus sit, poetae alia persona producenda est. Et apparet Toxilus haec verba faciens (v. 405):

curate isti intus, iam ego domum me recipiam.

Qua de causa foras egreditur? Poeta nihil de hac dicit. Sed cum statim Dordalus Toxilum alloquatur (v. 406):

Toxile, quid agitur?

planum est eum cum Dordalo in scaena colloqui poetam voluisse. Neque aliud dicendum est de Dordalo post v. 469 domo egrediente. In Poenulo post v. 720 Lycus Collabiscum domum his usus verbis duxit (v. 717—18):

age, age, ambula;
ibi quae sunt relicua alia fabulabimur.

Nunc exspectamus Lycum domi peregrinum argento fraudaturum esse. Id factum esse ipse dicit domo post v. 745 exiens (746—50):

suspendant omnes nunciam se haruspices
quam ego illis posthac quod loquantur creduam,
qui in re divina dudum dicebant mihi
malum damnumque maxumum portendier:
is explicavi meam rem postilla lucro.

Sed quaerimus, quidnam nunc domo exeat, cum nullam causam habeat. Num veri est simile eum Collabiscum quem modo frustratus est, nunc domi relicturum esse? Sed perspicuum est, Lycum domo egredi, quod in sequenti scaena necessarius est.

Post v. 960 Agorastocles et Milphio domum relinquunt nulla alia de causa, nisi ut in scaena coram spectatoribus cum Hannone colloquantur. Qua in re poeta ea ratione, quam persaepe adhibuit, utitur: Agorastocles et Milphio inter sese colloquentes domo egrediuntur, quasi in animo habeant abire, sed in scaena remanent. Initio Pseudoli fabulae Pseudolus et Calidorus domo egrediuntur et in platea consistunt. Hic Pseudolus e domino quaerit, cur tam maestus sit. Calidorus causam luctus copiose ei exponit. Videmus igitur eos nulla re cogi in plateam prodire ibique subsistere[1]). Quin etiam, censemus veri esse similius Pseudolum iam domi erum de maerore eius interrogare. Sed eo, quod in scaena de his rebus colloquuntur, poeta efficit, ut etiam spectatores ei colloquio intersint. Neque aliter res se habet in sequentibus scaenis. Post v. 573 Pseudolus in scaenam progreditur, quod eo in sequentibus scaenis careri non potest. Eodem modo post v. 766 puer nulla alia causa domo excedit, nisi ut spectatores id quod dicit audiant. Idem dicendum est, cum Ballio post v. 1051 in scaenam procedit. Is quoque ad actionem sequentem peragendam est magni momenti. In Rudente Daemones post v. 592 domo exiens enarrat soliloquio, quid in somnis viderit. Nullam causam affert, cur in hunc locum progrediatur. Intellegimus eum in scaenam prodire, quod in sequentibus scaenis adesse debet. Post v. 891 Daemones domo in scaenam procedit, ut spectatoribus Gripum in scaenam proditurum esse antea renuntiet. Quo facto Daemones rursus domum suam abit. In Sticho Epignomus post v. 522 domo exit his usus verbis (v. 523—26):

iam redeo. nimiast uoluptas, ubi diu afueris domo,
domum ubi redieris, si tibi nullast aegritudo animo obuiam.
nam ita me apsente familiarem rem uxor curauit meam,
omnium me exilem atque inanem fecit aegritudinum.

His verbis non dicit, qua de causa domo procedat. Atque poeta, ut facere solet, hunc Epignomi versum addit (v. 527):

sed eccum fratrem Pamphilippum incedit cum socero suo.

Eo quod in scaena inter sese colloquium incipiunt, efficitur, ut actio spectatoribus audientibus peragatur. In Trinummo Lysiteles nullam causam afferens domo procedit et ante aedes subsistens longum soliloquium, quo considerat, utrum delicias amoris

[1]) Haec scaena simillima est scaenae expositiciae Herois Menandreae.

sequatur necne, dicit. Nobis quidem is locus, ubi homines huc illuc commeant, tali orationi aptus non videtur. Sed poeta cum actionem in interiorem domum transferre non possit, id soliloquium in platea coram spectatoribus dici fingit[1]). Post v. 601 Stasimus domum Calliclis intrat, ut sororem Lesbonici certiorem faciat Philtonem vicinum eam uxorem filio poposcisse. Quem nuntium etiam Callicles, qui domi versatur, audivit. Exspectamus eum iam domi Stasimum de hac re interrogare. Sed cum Stasimum in sequenti scaena adesse necesse sit, poeta Stasimum et Calliclem domo progredientes facit, quamquam non habent, cur in hunc ipsum locum prodeant. Idem fit paulo post. Callicles enim post v. 614 domum Megaronidis abit, ut ei enarret Lysitelem, Philtonis filium, sororem Lesbonici in matrimonium ducere velle. Quibus rebus narratis duo senes domo prodeuntes in platea subsistunt et de dote danda colloquuntur. Qua de causa domum relinquunt? Nonne veri est similius eos etiam de his rebus domi loqui? Eadem ratione hac in fabula poeta iterum utitur. Nam postquam Callicles cum Charmide omnia quae interea facta sunt, domi communicavit, illi rursus domo progredientes et ante aedes subsistentes in platea colloqui pergunt. In Truculento post v. 744 Callicles cum duabus ancillis domo progreditur, ut in platea quaestionem, quam iam domi habuit, iteret. Exiens Callicles haec dicit (v. 774—79):

> egon tibi male dicam aut tibi † adte male uelim? ut animus meust,
> propemodum expertae estis quam ego sim lenis tranquillusque homo.
> rogitaui ego uos uerberatas ambas pendentis simul;
> commemini, quo quicquid pacto sitis confessae scio;
> hic nunc uolo scire eodem pacto sine malo fateamini.

Causam igitur, cur hunc locum adeat, non profert. Itaque manifestum est eum domum relinquere, ut spectatores quaestioni intersint.

In Andria Terentiana nulla est causa, cur Simo, qui modo post v. 171 domum intravit, statim domo prodeat haec locutus (v. 172—74):

> non dubiumst, quin uxorem nolit filius;
> ita Dauom modo timere sensi, ubi nuptias
> futuras esse audiuit. sed ipse exit foras.

---

[1]) Cf. Langen l. c., p. 220; Dietze l. c., p. 75.

Nullam igitur cur huc prodeat ab eo allatam causam videmus. At cum scaena mutari non possit, illis in scaena res peragenda est. Quam ad rem probandam etiam initium Eunuchi aptum esse putamus. Nam ubi Phaedria et Parmeno, qui Thaidis iussu arcessuntur, apparuerunt, utrumque domum Thaidis introire consentaneum est. Quae cum ita sint, scaena poetae in interiorem domum deferenda fuit. At poeta cum scaenam mutare non possit, Thaidem domo prodeuntem facit. Neque alia de causa Thais meretrix et Pythias ancilla post v. 816 domo prodeunt. Postquam enim Pythias intus quid Pamphilae factum esset, cum Thaide communicavit — ne tertium coram spectatoribus res enarrentur — poeta res quae sequuntur in scaena peragi facit, ut unum locum teneat. Simili ratione commotus Chaeream ex aedibus post v. 1030 producit. Sane quidem eum domi apud Pamphilam remanere nobis veri similius videtur. Sed quomodo poeta spectatores melius quid domi acciderit certiores facere potest quam eo quod Chaeream domo prodeuntem facit? Ob eandem causam in Hautontimorumeno Clinia post v. 229 in scaenam procedit, quamquam non minus apte intra domum mulierem exspectare potest. Sed quominus actio domi fiat, res scaenicae obstant. Itaque Clinia in scaenam prodire debet. Neque aliter intellegendum est Menedemum nulla causa allata mane domo exire post v. 419, Syrum post v. 511, Bacchidem post v. 722, Chremetem post v. 1002, Clitiphonem post v. 1024. Poeta cum res coram spectatoribus peragi velit, personas scaenam ineuntes facit, quamquam non minus apte quolibet alio loco actio fieri potest. In Hecyra nobis mirum videtur, quod Myrrhina, cum maritus filiam suam peperisse subito animadverterit, magno timore commota domo in plateam erumpit. Nam quemvis locum tutiorem esse quam vicum ante domum existimamus. Sed poetae qui locus aptior videri potest quam scaena? Neque aliter intellegendum est, quod Sostrata et Pamphilus post v. 576, non multo post Phidippus nullis causis allatis in scaenam procedunt. In Phormione vero Demipho reversus, postquam omnia de Antiphone audivit, Getam Phormionem a foro arcessere iubet; ipse ad forum it, ut advocatos, qui se contra Phormionem adiuvent, secum adducat. Ac primum quidem Phormio et Geta post v. 314 in scaenam prodeunt neque multo post Demipho una cum tribus advocatis nullam causam cur hunc in locum prodeant afferentes. Nonne absurdum est Demiphonem et Getam ad fo-

rum ire, ut inde homines arcessant, quibuscum illic aptius agere possunt quam hoc loco? At cum fieri non possit, ut scaena ad forum deferatur, huc eos convenire necesse est.

In Epitrepontibus Menandri Onesimus post v. 165 haec secum locutus domo procedit (v. 165—166):

μάγειρον βραδύτερον
οὐδεὶς ἑόρακε! τηνικαῦτ' ἐχθὲς πάλαι
ἔπινον.

Causam cur domum relinquat haec verba non continent. Sed hac e re perspicimus poetam his aut similibus verbis uti, quia causam nullam afferre possit. Neque aliter Onesimus se gerit, cum post v. 201 et 398 domo excedat. Nulla alia de causa procedit nisi ut spectatoribus quid intus gestum sit enarret. In Samia Niceratus domo prodit haec faciens verba (v. 184—89):

τουτὶ τὸ πρόβατον τοῖς θεοῖς μὲν τά νόμιμα
ἅπαντα ποιήσει τυθὲν καὶ ταῖς θεαῖς.
αἷμα γὰρ ἔχει, χολὴν ἱκανήν, ὀστᾶ καλά,
σπλῆνα μέγαν, ὧν χρεία ἐστὶ τοῖς Ὀλυμπίοις.
πέμψω δὲ γεύσασθαι κατακόψας τοῖς φίλοις
τὸ κῴδιον· λοιπὸν γάρ ἐστι τοῦτό μοι.

Causam cur prodeat eum non afferre videmus. In scaena apparet, quod necessarius est: Chrysidem, quae ubi a Demea domo expulsa est lacrimans in platea versatur, secum domum ducit, quod nisi fit actio procedere non potest.

§ 7.

Saepe accidit, ut poeta homines, quos in scaenam progredientes domum introire oportet, domum non statim vel omnino non intrantes fingat, sed efficiat, ut aut soliloquium habeant aut cum personis in scaena iam versantibus colloquium ineant. Quam rem et ipsam fieri, ut unitas loci servetur, satis apparet.

In Amphitruone enim Sosia ab ero iussus est uxori adventum et res ab eo gestas nuntiare. Post v. 152 in scaenam a portu advenit. Mandatum non statim exsequitur, sed usque ad v. 291 secum loquitur, priusquam de iussu cogitat (v. 291). In Asinaria Leonida post v. 266 celeriter accurrit, ut erum suum quaerat. Consentaneum esse videtur eum, utpote qui erum in platea non conspiciat, statim domum intrare, ut eum ibi quaerat. Sed id fieri frustra exspectamus. Leonida in scaena

subsistit secum loquens, donec eum Libanus servus alloquitur. Postquam Libano et Leonidae contigit, ut mercatorem viginti minis fraudarent, post v. 544 ambo accurrunt, ut argentum Argyrippo tradant (v. 725). Sed non domum intrant, ut id faciant. In scaena inter se colloquuntur, donec post v. 590 Argyrippus ipse domo exit. Eo modo poeta impedit, quominus actio in interiorem domum transferatur. In Aulularia post v. 448 Euclio domo progreditur cum aula sub pallio abdita, quam in fanum Fidei auferre ei in animo est. Usque ad v. 474 secum loquitur et usque ad v. 580 cum Megadoro colloquitur, priusquam intrat. In Bacchidibus Mnesilochus, qui hodie Epheso revertit, post v. 384 a portu adveniens scaenam init, postquam a Chrysalo servo Bacchidem amicam suam hac in domo habitare comperit. Cum id sciat, nonne est veri simile eum statim introiturum esse, ut amicam suam valde amatam, quam per duos annos desiderat, revisat? Sed quid ille facit? In platea ante aedes consistit et multa verba de suis rebus facit. Atque cum Lydum et Philoxenum advenientes conspiciat, dicit (v. 403—4):

sed eccos uideo incedere
patrem sodalis et magistrum . hinc auscultabo quam rem agant.

Adulescentem amantem id facere ante aedes amicae omnino non est veri simile. Eadem in fabula post v. 1075 Philoxenus advenit haec verba faciens (v. 1084—86):

nunc Mnesilochum, quod mandaui,
uiso ecquid eum ad uirtutem aut ad
frugem opera sua compulerit,
sic ut eum, si conuenit, scio fecisse: eost ingenio natus.

Nunc exspectamus eum statim domum Nicobuli intraturum esse, ut Mnesilochum conveniat. Sed quid fit? Vix verba illa, quae supra protulimus, fecit, cum in scaena apparet Nicobulus, qui usque ad v. 1103 secum loquitur, dum Philoxenus per id tempus tacet. Postquam Nicobulus dicere desiit, Philoxenus haec verba facit (v. 1104—5):

certo hic prope me mihi nescio quis loqui uisust; sed quem uideo?
hic quidemst pater Mnesilochi,

et ambo sermonem incipiunt. In Captivis Hegio cum Aristophonte, qui Philocratem agnoscat, domum post v. 497 redit. Sed priusquam intrat, a v. 498 usque ad v. 512 spectatoribus quid

intra tempus interpositum fecerit, enarrat. Quo facto domum introit. Eadem in fabula Ergasilus postquam in portu Hegionis filium ex Elide redeuntem conspexit, celeriter accurrit, ut quam primum eum laetum nuntium Hegioni afferat. Sed ubi in scaenam pervenit, festinationem obliviscitur et usque ad v. 830 secum loquitur, priusquam in aedes introire cogitet. In Menaechmis post v. 536 Menaechmus I a foro advenit, ubi lite clientis retentus est neque ea de causa prandio, ad quod Erotium eum invitavit, interesse potuit. Quae cum ita sint, eum operam daturum esse, ut statim domum meretricis intret credimus. Menaechmus autem ante aedes consistens primum soliloquium habet, deinde cum uxore colloquium incipit. In Mercatore post v. 498 Lysimachus scaenam init cum Pasicompsa in portu empta, quam domum suam introducere vult. Sed poeta cum scaenam domum transferre non possit, spectatores autem colloquio inter Lysimachum et Pasicompsam habito interesse velit, senem et meretricem domum non statim intrantes faciat necesse est. In Mostellaria post v. 858 Phaniscus advenit, ut erum suum domo Philolachis abducat. Neque statim ostium pultat, sed usque ad v. 898 cum servo colloquitur. In Persa Sagaristio post v. 250 scaenam ingreditur magno gaudio affectus, quod pecuniam Toxilo comparavit. Putaveris quam primum eum id cum amico suo communicaturum esse. Neque tamen id facit. Primum in scaena soliloquium habet, deinde puerum Toxili conspiciens cum eo colloquium incipit, in quo eum ubi Toxilus sit interrogat. Qua in re plane obliviscitur Toxilum ipsum sibi dixisse (v. 51—52):

> sed recipe te quam primum potes, caue fuas mi in quaestione.
> usque ero domi dum excoxero lenoni malam rem magnam.

Verum etsi Toxilus id non dixisset, nonne aptissimum videri debet domum introire et, num ille insit, inspicere? In Pseudolo Ballio post v. 789 cum coquo, quem in foro conduxit, scaenam init. Exspectamus eum coquum statim in aedes introducturum esse. Sed Ballio antea cum eo usque ad v. 890 colloquium habet[1]). Post v. 904 Pseudolus et Simia in scaena apparent, ut lenoni fraudem faciant. Sed quamquam Pseudolus iure hoc dicit (v. 1028—31):

[1]) Eandem scaenam in Samia Menandri videmus. In hac quoque fabula Parmeno cum coquo in foro conducto scaenam init, sed colloquio antea cum coquo habito eum domum intromittit.

metuo autem, ne erus redeat etiam dum a foro,
ne capta praeda capti praedones fuant.
quom haec metuo, metuo, ne ille huc Harpax aduenat
prius quam hinc hic Harpax abierit cum muliere,

tamen non statim rem aggrediuntur, sed antea inter sese colloquuntur. In Rudente Labrax, qui in urbe a iudicibus est condemnatus, in scaena post v. 1280 rursus apparet haec dicens (v. 1286—87):

nunc alteram illam quae mea est uisam huc in Veneris fanum,
saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.

Sed poeta eum non intrantem, sed cum Gripo colloquium incipientem fingit. Eo modo scaena non decedit. In Sticho post v. 273 Pinacium a portu advenit, ubi erum redeuntem conspexit. Celeriter accurrit, ut de ea re eram certiorem faciat. Sed non statim domum intrat, sed a v. 274 usque ad v. 307 secum loquitur, priusquam fores pultat. Eadem in fabula post v. 401 advenit Epignomus cum Sticho servo rediens, postquam per tres annos patria caruit. Exspectamus eum statim domum suam introiturum esse, ut uxorem suam salutet. Sed ille in platea subsistit et cum servo suo colloquitur. Qui postquam post v. 453 abiit, Epignomus nihilo magis domum suam pergit, sed cum Gelasimo parasito sermonem incipit[1]). Post v. 505 demum introit, quoniam partes suas in scaena peregit neque iam necessarius est. In Trinummo Charmides peregre reversus post v. 819 scaenam init, ut domum se conferat. Consentaneum est eum statim domum introiturum esse, ut suos quam primum videat. Sed non statim intrat domum; verum usque ad v. 842 secum loquitur, deinde colloquium cum sycophanta, cum Stasimo, postremo cum Callicle incipit, priusquam domum suam post v. 1108 intrat[2]). Quae res eo solum explicari potest, quod poetae, ne actionem domum transferat, Charmides in scaena retinendus est. In Truculento Cyamus post v. 550 advenit, ut Phronesio dona domini tradat. Sed priusquam id facit, usque ad v. 574 in scaena secum loquitur.

---

[1]) Simillimum exemplum praebet Godofredi Keller Martin Salander, qui post longum tempus ad uxorem et liberos reversus non statim domum suam petit, sed diutius in oppido moratur.

[2]) Cf. Langen l. c., p. 229. Brix, Trinummus, p. 29.

Quae ratio etiam exemplis e Terentii fabulis haustis illustratur. Nam in Adelphis Ctesipho post v. 253 a foro advenit magno gaudio affectus, cum Aeschinus id peregerit, quod maxime optavit. Quamquam eum voluptate maxima incitatum statim domum ad puellam amatam se collaturum esse exspectandum est, tamen id non facit. Postquam per duas scaenas in platea remansit, a Syro ut domum se conferat adhortandus est his verbis (284—86):

non fiet, bono animo es: tu cum illa te intus oblecta interim
et lectulos iube sterni nobis et parari cetera.
ego iam transacta re conuortam me domum cum obsonio.

Tum demum domum intrat ad amores suos. Post v. 609 apparet a foro veniens Aeschinus, qui interea per Cantharam quantam suspicionem apud Pamphilam moverit comperit. Quae omnia copiose soliloquio spectatoribus enarrat, priusquam domum abscedit. Quo temporis momento poeta Micionem patrem domo prodeuntem facit, ut scaena non mutetur. Post v. 712 redit Demea, qui a Syro huc illuc missus est, ut quam diutissime ab aedibus abesset. Defessus tandem redit et iam domum Micionis se recipere vult haec dicens verba (v. 718):

nunc vero domi
certum obsidere est usque, donec redierit,

cum Micio domo sua procedit et cum illo colloquium incipit. Usque ad finem fabulae Demea in scaena remanet. In Andria Simo et Sosia a foro veniunt una cum servis, qui merces coemptas portant. Servis intro missis illi duo ante domum remanent, ubi partes suas agunt. Quamquam etiam illos introire consentaneum est, tamen id poeta facere non potuit, quoniam unum locum tenet. Omnibus rebus quae ad fabulam intellegendam sunt necessariae dictis domum se conferunt. Post v. 235 valde commotus in scaenam progreditur Pamphilus. Cui pater casu occurrens modo apud forum imperavit, ut cum ei hodie uxor ducenda esset, statim domum abiret (v. 224—25). Adveniens autem ante aedes consistit neque prius discedit, quam ea omnia quae spectatores comperire necesse est, enarravit. In Eunucho post v. 231 Gnatho cum Pamphila advenit, quam dominus eius Thaidi meretrici dono dare vult. Poeta Gnathonem non statim intrantem ad Thaidem facit, sed v. 232—270 ille primum soliloquium habet, deinde usque ad v. 283 cum Parmenone colloquitur, tum demum

Pamphilam Thaidis domum abducit. Post v. 390 Thraso et Gnatho accedunt, ut quomodo Thais donum acceperit comperiant. Usque ad v. 453 ante domum colloquuntur, dum Thais domo sua prodit. Neque multo post Chremes apparet, quem Thais ad se vocavit. Postquam spectatoribus cur huc advenerit, soliloquio exposuit, ostium Thaidis pulsat. A Doria quae post v. 614 redit, domum Thrasonis abducitur. Neque statim Dorias reversa domum dominae intrat, sed soliloquio longo quid intus viderit, spectatoribus enarrat. Tum demum poeta eam introeuntem facit. Neque in Hecyra Pamphilus, qui longo itinere facto a portu advenit, statim in interiorem domum se confert, sed ante domum consistens cum Parmenone servo colloquitur, priusquam ad Philumenam uxorem se confert. Post v. 450 apparent a foro Laches et Phidippus senes. Ne eos quidem poeta intrantes, sed cum Pamphilo qui in scaena versatur, colloquium incipientes facit. Phormionis initio Davus apparet, ut Getae argentum, quod debet referat. Sed non modo non domum Demiphonis intrat, ut argentum Getae det, sed versatur in platea et soliloquio cur huc venerit exponit. Interea Geta domo prodit. Post v. 230 Demipho longo itinere maritimo facto a portu advenit. Existimandum est illum longo itinere defessum statim domum suam intraturum esse. Si id faceret, scaena in interiorem domum transferenda erat, id quod poeta facere non potuit. Post v. 314 Geta a foro secum adducit Phormionem, quem arcessi Demipho iusserat. Geta illum non in aedes Demiphonis ducit, sed cum eo in platea remanet. Neque multo post advenit Demipho cum advocatis tribus, qui et ipsi ante domum remanent. Quo pacto ut spectatores actioni intersint, poeta efficit. Post v. 566 Demipho et Chremes a portu in scaenam prodeunt. Chremes enim longo itinere maritimo facto reversus a Demiphone a portu adducitur. Ut Demipho, ne is quidem domum suam statim intrat.

In Georgo Menandrea[1]) post v. 34 Davus servus rure advenit multos flores a praedio secum ferens. Consentaneum est eum statim domum adulescentis, quo pergit, intrare. Sed poeta paulo ante mulieres duas, Myrrhinam et Philinnam, in scaenam prodeuntes fecit, ut nunc Davus sermonem cum illis incipere possit. Eo modo poeta effecit, ut spectatores quoque illum nuntium audirent.

---

[1]) Kretschmer l. c., p. 6 sq.

§ 8.

Neque raro fit, ut personae rebus ipsis scaena decedere cogantur; sed poeta ne scaenam mutet, illas in scaena retinet[1]).

In Casina enim, dum Myrrhina et Cleostrata in platea colloquuntur, Cleostrata maritum advenientem conspicit. Myrrhinam orat, ut domum introeat; ipsa autem in platea remanet, ut maritum graviter obiurget. Poeta igitur, cum scaenam non mutet, ea de causa Myrrhinam domum intrantem non facit, quod rixam coniugum spectatoribus ante oculos ponere voluit. In Epidico post v. 305 Periphanes domum ingreditur, ut Epidico argentum ad tibicinam emendam tradat. Periphani imperanti (v. 305: sequere tu intro) Epidicus respondet (v. 305):

i, numera, nil ego te moror.

Ante aedes autem remanens spectatoribus quomodo fidicinam acquirere velit enarrat. Quo facto domum intrat et pecuniam accipit. In Persa post v. 448 Dordalus introit, ut amicam Toxili domum eius mittat. Quamquam consentaneum est Toxilum ipsum intrare, ut amicam suam domi accipiat, tamen in scaena remanet, quo dnecessarius est ad dolum in lenonem peragendum. In Sticho Antipho post v. 62 domo exit hanc causam afferens (v. 66—67):

iam ego domi adero . ad meam maiorem filiam inuiso modo;
si quis me quaeret, inde uocatote aliqui; aut iam egomet hic ero.

Cum de magna re cum eis colloqui velit (v. 102 num quis hic est alienus nostris dictis auceps auribus?) consentaneum est eum, postquam filias ante aedes convenerit, eas secum domum ducturum esse. Quodsi Antipho id fecisset, poetae actio in interiorem domum transferenda erat. Itaque Antipho in scaena remanet. Neque multo post Panegyris Crocotium ancillam iubet Gelasimum parasitum accessere, cum eum ad portum mittere velit. Ancilla parasitum, postquam eum ante aedes convenit, de iussu erae certiorem facit. Sed ille cunctatur domum Panegyris intrare. Ancillae urgenti his verbis (v. 263):

quid nunc? ituru's an non?

respondet (v. 263—270):

---

[1]) Cf. Felsch l. c., p. 38 sq.

abi sane domum,
iam illo uenturum dicito. propera atque abi.
demiror quid illaec me ad se arcessi iusserit,
quae numquam iussit me ad se arcessi ante hunc diem,
postquam uir abiit eius. miror quid siet:
nisi ut periclum fiat uisam quid uelit.
sed eccum Pinacium eius puerum.

Gelasimus puerum alloquens in scaena remanet. Ille quamquam miratur, quo Panegyris iussa spectent, tamen non domum ad eam intrat, ut statim id comperiat, sed cum illo colloquitur de eis rebus, quae prorsus ad iussa Panegyris non pertinent. Sed manifestum est poetam eum retinere, ne scaena mutetur. Nam Panegyris per puerum fores pultantem evocatur, ut scaena inter Panegyrim et Gelasimum in platea agi possit. Eadem in fabula Epignomus post v. 522 domo prodiens in platea in fratrem suum Pamphilippum et socerum Antiphonem incidit. Postquam hi viri inter sese collocuti sunt, Antipho senex domum intrat, ut se lavet. Fratres in scaena remanent, quamquam exspectamus eos quoque domum ingredi. Nam Pamphilippus fratri dicit se extemplo cum eo intrare non posse, cum antea deos atque uxorem in aedibus suis salutare velit (v. 534). Epignomus respondet (v. 536):

apud nos eccillam festinat cum sorore uxor tua.

Quaerimus igitur, cur Pamphilippus domum non intret, quoniam uxor ibidem versatur. Cuius rei causa facile intellegitur. Nam postquam Antipho fabellam suam narravit et abiit, Pamphilippus plane oblitus uxoris et deorum salutandorum ad fratrem dicit (v. 570—76):

graphicum mortalem Antiphonem! ut apologum fecit fabre!
etiam nunc scelestus sese ducit pro adulescentulo.
dabitur homini amica, noctu quae in lecto occentet senem;
namque edepol aliud quidem illi quid amica opus sit nescio.
sed quid agit parasitus noster Gelasimus? etiam valet?

Subito igitur de parasito loqui incipiunt. Hac re invenitur causa, cur in scaena remaneant. Nam poeta voluit spectatores scaenae inter fratres et Gelasimum, qui post v. 578 scaenam init, interesse. Cum actio nullo loco nisi ante aedes peragi possit, fratres remaneant necesse est. In Truculento post v. 644 Strabax advenit magno gaudio affectus, quod ei contigit, ut argentum compararet. Fores pultat, ut pecuniam ad Phronesium amicam deferat. Astaphium

ancilla ostium aperit et adulescentem intromittit. Illa ipsa in platea remanet. Cur non in aedes redit, quoniam quod in platea faciat nihil habet? Quia in scaena quae sequitur, adsit necesse est, cum poeta eam cum Truculento, qui statim apparet, spectatoribus audientibus colloqui velit. Neque alia res est hac in scaena. Diniarchus postquam ab Astaphio, quominus domum Phronesii intraret, impeditus est, in scaena remanet, quamquam consentaneum est eum abscedere, cum quod restet nulla causa sit. Immo putamus rebus ipsis eum effugere cogi. Nam conspicit Calliclem senem cum duabus ancillis vinctis advenientem, quae quanta iniuria filiam Calliclis affecerit non ignorant. Sed poeta eum idcirco remanentem facit, ut quaestione ex ancillis habita cum sene colloquium incipiat et id colloquium coram spectatoribus habeatur.

§ 9.

Sed poeta etiam personis, quas domi remanere magis consentaneum est, in plateam productis efficit, ut unus locus teneatur.

Nam in Aulularia Eunomia fratrem suum Megadorum convenit, ut eum ad uxorem ducendam adducat. Ut ei id dicat, Megadorum foras ducit his usa verbis (v. 133—134):

eo nunc ego secreto ted huc foras seduxi,
ut tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.

At qui quaeso fieri potest, ut aliquis, si de familiari re dicere velit, ne ab hominibus turbetur, in publicum prodeat? Nonne putandum est Eunomiam de talibus rebus domi aptius loqui quam in platea, ubi homines huc illuc commeant? Poeta cum actionem in interiores aedes transferre non possit, eam scaenam in platea peragi facit[1]). In Cistellaria Alcesimarchus post v. 639 domo se proripit, ut se interficiat. At non est veri simile eum, si domi est, in plateam proditurum esse, ut hic mortem sibi consciscat. In Milite Glorioso post v. 1136 domo exeunt Acroteleutium, Milphidippa, Pleusicles ad Palaestrionem, ut ab

[1]) Schlegel l. c., VII. Vorles.: „Die griechische Bühne lag unter freiem Himmel, sie zeigte das Innere der Häuser wenig oder gar nicht. Das Lustspiel mußte daher die Straße zum Schauplatze haben. Dies verursacht manchen Übelstand; die Leute kommen häufig aus ihren Häusern heraus, um sich ihre Geheimnisse draußen anzuvertrauen."

eo quid faciant comperiant. Nonne magis consentaneum est Palaestrionem in aedes ad illos se conferre? Iure miramur, quanta temeritate inducti in plateam procedant, cum miles quovis temporis momento supervenire possit. Natura igitur rerum poscit, ut in aedibus remaneant, sed poetae aliter faciendum est, quoniam scaenam non mutat. In Mostellaria post v. 156 Philematium et Scapha in plateam procedunt. Hic Philematium vestem induere et se ornare, id quod domi coepit, pergit[1]. Cum talem actionem domi fieri decere manifestum sit, mulieres in aedibus non remanere miraremur, nisi eluceret poetam necessitate unius loci coactum[2] speciem rei factae neglexisse. Quin etiam, ut scaenam quae sequitur oblectationis facetiarumque plenam in conspectum adducat, convivium in platea ante oculos spectatorum fieri fingit[3]. Item in Persa Toxilus Sagaristionem et Lemniselenem foras deducit, ut dolum bene gestum celebret, haec dicens (v. 758—61):

> ite foras: hic uolo ante ostium et ianuam meos participes
> bene accipere.
> statuite hic lectulos, ponite hic quae adsolent:
> hic statui uolo primum aquilam e. q. s.

Poeta igitur, ut unitatem loci observet, eam scaenam in interiorem domum non transfert. In Sticho poeta spectatoribus Sangarinum, Stichum, Stephanium comissantes ante oculos ponere vult. Igitur convivium non domi habetur, sed in platea estur et bibitur[4]. Servi postquam satis biberunt et saltaverunt, cum in extrema fabula domum introeunt, Stichus haec dicit (v. 774—75):

---

[1]) Cf. Dörpfeld-Reisch, Das griech. Theater, Athen 1896, p. 268 et 269. Bethe, Prolegomena zur Gesch. des Theaters im Altertum, Leipzig 1896, p. 311. Lundström, Außen oder Innen? Eranos (Acta philol. Suecana) I, 1896, p. 95. Dietze l. c., p. 75. Utrum haec scaena in via an in vestibulo (ante aedes) peracta sit, nobis nullius momenti est, quippe qui censeamus talem actionem non aptiorem esse viae quam vestibulo, quod aeque oculis omnium praetereuntium patebat.

[2]) Körte, Menander im Lichte neuerer Funde, Deutsche Rundschau II, 1904, p. 364: „Der antike Dichter hatte ja nicht die Möglichkeit, seine Handlung in das Innere eines Hauses zu verlegen.“

[3]) Quo convivio in platea acto poeta postea utitur, ut Callidamatem ebrium iocose atque ridicule domum importet. Poeta igitur necessitate egregie utitur.

[4]) Dörpfeld-Reisch l. c., p. 268.

intro hinc abeamus nunciam : saltatum satis pro uinost.
uos, spectatores, plaudite atque ite ad uos comissatum.

In Rudente Trachalio, qui in fano Veneris apud mulieres versatur, lenonem eas a simulacro deae abripientem vidit. Clamore sublato post v. 614 foras erumpit, ut auxilium arcessat. Nonne veri est similius eum in fano remanere et ipsum mulieres ab hoste tueri, unum contra unum? Atque etiamsi ei procurrendum fuisse concedimus, cur ante fanum multa verba facit neque statim cum Daemone ad mulieres defendendas recurrit? Qua ex re satis elucet poetam cum scaenam mutare non possit Trachalionem progredientem fingere, ut spectatores quid in fano gestum sit, per eum certiores fiant.

Ut ad Terentium transeamus, in Adelphis Sostratam domi filiae parturienti adesse quam eam deserere magis par est. Quamquam ipsa dicit (v. 291):

miseram me, neminem habeo, solae sumus; Geta autem hic non adest,

tamen aegrotam filiam solam relinquens domo prodit. Eo modo scaenae mutationem evitat. Post v. 788 Demea ex aedibus erumpit. Nam domum fratris introiens inopinatus filium una cum psaltria conspexit. Quod maius malum ei accidere potuit! Filius quem innocentissimum putavit, una cum psaltria! Qua re quantopere commotus sit ut spectatores videant, poeta eum domo erumpentem facit. Sed num veri est simile patrem, qui filium una cum meretrice conspexit, statim domo erupturum esse in vicum, ubi magna voce iram effundat? Eadem de causa in Hautontimorumeno Chremes et Clitipho domo prodeunt. Pater cum filium Bacchidem *subigitantem* deprehenderit, cum eo in plateam prodit, ut eum graviter obiurget. Post v. 678 Clinia gaudio magno incitatus, quod Antiphila Chremetis filia agnita est, domo proruit, ut animum levet. Neque aliter res se habet, cum in extrema fabulae parte Chremes et Sostrata domo prodeunt[1]).

[1]) Cuius loci difficultatem Köhler l. c., p. 30, adn. 1 solvere vult dicens: „Sed Sostratae animi affectu rectissime utrumque declaratur, cum ex toto verborum nexu concludendum sit exheredationis consilio vix comperto maritum, quippe quem coram filio interrogare nolit, ab ea foras duci, cum ipsa quid factum sit, prorsus nesciat. Itaque imperitum poetam non dicas eum, qui haec expressis verbis indicare noluit.“ Nonne par est eos si clam colloqui volunt intra domum potius se recipere quam in plateam exire? Köhler, qui studio poetae excusandi nimium se abripi patitur, illum usum non vitium poetae, sed commune comicorum artificium esse parum intellegit.

§ 10.

Atque poeta personas, quae ex alio loco veniunt, de eis quae ad actionem pertinent rebus tum demum loquentes facit, cum scaenam inierunt, ut coram spectatoribus verba sua faciant.

Ut exemplo utar, in Amphitruone post v. 498 Iuppiter cum Alcumena domo prodit haec verba faciens (v. 499—501):

bene uale, Alcumena, cura rem communem, quod facis;
atque imperce quaeso: menses iam tibi esse actos uides.
mihi necessest ire hinc; uerum quod erit natum tollito.

Cui Alcumena respondet (v. 502):

quid istuc est, mi uir, negoti, quod tu tam subito domo abeas?

Quae verba et ea quae postea dicuntur melius domi dici quam hic in platea apertum est. Sed poeta ita rem gessit, quod spectatores colloquium inter Iovem et Alcumenam habitum audire voluit. In Asinaria Diabolus, cui Philaenium meretricem in annum mercede conducere in animo est, parasitum suum syngraphum conscribere iussit, qui usum atque consuetudinem meretricis ad leges et condiciones revocet. Ambo post v. 745 scaenam ineunt, ut eum syngraphum lenae proponant. Credimus igitur Diabolum syngraphum iam cognovisse, dum cum parasito iter domum lenoniam facit. Sed res aliter se habet. Adulescens enim, ubi primum in scaenam progressus est, parasitum alloquitur his verbis (v. 746—48):

agedum istum ostende quem conscripsti syngraphum
inter me et amicam et lenam. leges perlege.
nam tu poeta es prosus ad eam rem unicus.

Cum igitur syngraphum omnino non noverit, parasitus eum ab initio usque ad finem recitat. Tum demum id fieri poeta fingit, cum scaenam inierunt, ut etiam spectatores syngraphum cognoscant. In Aulularia Euclionem senem miramur. Is enim postquam argentum in fano Fidei abdidit, exiens in platea haec verba facit (v. 608—15):

tu modo caue quoiquam indicassis aurum meum esse istic, Fides:
non metuo, ne quisquam inueniat, ita probe in latebris situmst.
edepol ne illic pulchram praedam agat e. q. s.

Nequaquam fieri potest, ut aliquis ita se gerat: arcanum in platea

vulgat. Si omnino concedimus Euclionem talia verba facere posse, saltem in fano facienda erant. Idem dicendum est, cum post v. 712 Euclio accurrit his verbis clamans atque lamentans (v. 713—26):

> perii, interii, occidi. quo curram? quo non curram? tene, tene. quem? quis?
> nescio, nil uideo, caecus eo, atque equidem, quo eam aut ubi sim aut qui sim
> nequeo cum animo certum inuestigare e. q. s.

Euclio quamquam iam longum iter a loco ante urbem sito usque ad domum suam fecit, loquitur quasi ab eo loco, ubi furtum factum est, non longe absit[1]). Poeta igitur nunc demum eum clamantem facit, quod spectatores quoque id audire voluit. In Bacchidibus Lydus post v. 367 domo Bacchidis erumpit, quod intus Pistoclerum tanta facinora facientem vidit, ut patrem eius arcessere velit. Post v. 404 una cum eo domo procedit. Haec inter se colloquentes scaenam adeunt (v. 405—07):

> LY. nunc experiar sitne aceto tibi cor acre in pectore.
> sequere. PH. quo sequar? quo ducis nunc me? LY. ad illam quae tuom
> perdidit, pessum dedit tibi filium unice unicum.

Et in ea quae sequitur parte Lydus seni, cur eum huc secum duxerit, copiose narrat. Sed quaerimus: de quibus rebus dixerunt, priusquam scaenam introierint? Num est credibile Lydum eam rem, quae ei cordi est, omnino verbis non tetigisse?[2]) Poetam ut ita rem instituat rebus scaenicis adductum esse manifestum est. In Mercatore post v. 499 Lysimachus apparet cum Pasicompsa. Eadem de causa, quam iam supra demonstravimus, poeta colloquium, quod iam antea, dum iter a portu usque ad hunc locum faciunt, habitum esse credideris, ante aedes haberi fingit. Cuius rei gravissimum exemplum etiam Miles Gloriosus praebet. Palaestrio enim post v. 935 abit, ut Pyrgopolinicem conveniat et certiorem faciat vicini uxorem amore eius exarsisse et cum eo loqui velle. Palaestrio cum in militem inciderit, cum eo post v. 946 redit. Quamquam satis elucet Palaestrionem ei in itinere omnia narraturum fuisse aut narrare coepisse, tamen poeta ita rem non instituit. Nam milite et Palaestrione

---

[1]) Langen l. c., p. 110.

[2]) Cf. Langen, p. 114.

scaenam ineuntibus Pyrgopolinices narrat hodie cum parasito suo mercennarios conductos ad Seleucum regem se misisse. Postquam dicere desiit, Palaestrio loquitur (v. 951—52):

quin tu tuam rem cura potius quam Seleuci, quae tibi
condicio noua et luculenta fertur per me interpretem.

Miles respondet (v. 953—54):

immo omnis res posteriores pono atque operam do tibi.
loquere: auris meas profecto dedo in dicionem tuam.

Qua ex re nonne est concludendum eos iter huc facientes tacuisse? Cur autem Palaestrio non statim postquam Militem invenit, de eis rebus cum illo locutus est?[1]) Huc pertinent etiam omnia soliloquia, quibus personae postquam scaenam inierunt et ante aedes substiterunt, quaecunque interea gesserunt, spectatoribus enarrant. Ut pauca e multis exemplis afferam, in Truculento Diniarchus post v. 698 advenit et in scaena ante aedes Phronesii subsistens laetis verbis gaudium suum exprimit, quod dona Phronesio accepta sunt. Nos quidem quaerimus, cur nunc demum, cum ante aedes meretricis advenit, laetitiam suam exprimat? Nonne veri est simile eum id statim, postquam hunc laetum nuntium accepit, facere? Sed etiam hac in re poeta rationem habet unius loci. Idem dicendum est, ut reliqua exempla, quae permulta sunt omittam, de soliloquiis, quae faciunt in Mercatore Demipho, qui post v. 224 scaenam init, et in Poenulo Lycus, qui post v. 448 scaenam ingreditur.

Ut exempla Terentiana afferam, in Andria Pamphilus, qui modo apud forum a patre domum abire iussus est, valde commotus a foro accurrit. In platea consistens quid sibi acciderit multis verbis enarrat. Cur autem nunc ipsum de his rebus loquitur? Nonne credibilius est eum iam ab eo temporis momento in itinere de eis rebus loqui coepisse cum a patre abierit? Sed poeta aliter rem instituere non potuit nisi ut Pamphilum tum demum loquentem faceret, cum scaenam introiit. Neque enim ut spectatores alio modo de eis rebus certiores fiant, fieri potest. Ut alio exemplo utar, in Eunucho mirum videtur, quod Chremes adulescens, quem Thais meretrix ad se advocavit, ante domum eius consistens cur huc advenerit copiose exponit. Post v. 1024 Gnatho et Thraso domui Thaidis appropinquant. Gnatho Thrasonem alloquitur (v. 1025):

[1]) De alio exemplo vide Langen l. c., p. 166.

quid nunc! qua spe aut quo consilio huc imus? quid
coeptas, Thraso?

Cui Thraso respondet (v. 1026):

Egone? ut Thaidi me dedam et faciam quod iubeat.

Miramur quod Gnatho tum demum cur huc venerint quaerit, cum iam ante domum Thaidis advenerunt. Eodem modo Dorias ancilla non prius quid domi Thrasonis viderit enarrat, quam ante domum dominae suae advenit. Neque aliter se gerit Chaerea. Postquam enim in scaenam post v. 839 rediit, tum demum quid interea sibi acciderit enarrat. In Phormione Demipho et Chremes de filia Chremetis non prius loquuntur quam scaenam inierunt. Idem dicendum est de Demeae verbis (v. 355 sq.):

disperii! Ctesiphonem audiui filium
una fuisse in raptione cum Aeschino.
id misero restat mihi mali, si illum potest,
qui aliqui reist etiam, eum ad nequitiam adducere.
ubi ego illum quaeram?

In Georgo[1]) Menandri post v. 35 Davus rure advenit haec dicens (v. 35—39):

ἀγρὸν εὐσεβέστερον γεωργεῖν οὐθένα
οἶμαι · φέρει γὰρ μυῤῥίνην, κιττὸν καλόν,
ἄνθη τοσαῦτα. τἄλλα δ' ἄν τις καταβάλῃ
ἀπέδωκεν ὀρθῶς καὶ δικαίως, οὐ πλέον,
ἀλλ' αὐτὸ τὸ μέτρον.

Manifestum est poetam Davum ea verba nunc demum loquentem facere, cum scaenam iniit, ut spectatores quoque audire possint. Neque aliter se gerit Niceratus in Samia. Verba quae v. 184—192 facit, rectius domi facere potuit. In eadem fabula Parmeno, qui post v. 109 aufugit, post v. 295 redit haec dicens (v. 296 sq.):

νὴ τὸν Δία, τὸν μέγιστον, ἀνόητόν τε καὶ
εὐκαταφρόνητον ἔργον εἴμ' εἰργασμένος.
οὐδὲν ἀδικῶν ἔδεισα καὶ τὸν δεσπότην
ἔφυγον. τί δ' ἦν τούτου πεποηκὼς ἄξιον;
καθ' ἓν γὰρ οὑτωσὶ σαφῶς σκεψώμεθα e. q. s.

Nonne magis par est eum talia considerare, priusquam redire incipiat? Nam ut nunc res est, Parmeno secum reputat, postquam iam consilium redeundi cepit[2]).

---

[1]) Apud Kretschmarium, p. 9.

[2]) Cf. Leo, Der Monolog im Drama, p. 83.

§ 11.

Saepe etiam poeta, quominus personae domum introeant, ut aliam personam ibi conveniant, ea re impedit, quod eo temporis momento, quo personae domum iturae sunt, ipsam illam personam domo progredientem aut aliunde advenientem facit; qua re efficit, ut fabula in platea peragi possit.

In Aulularia Megadorus postquam animum induxit in matrimonium ducere filiam vicini sui, in aedes eius se collaturus est, ut id a patre impetret. Id quod poeta supervacaneum facit, cum hoc momento vicinus a foro veniens scaenam ineat. Etiam hac in re Megadorum verba illa dicentem audimus (v. 176—177):

ego conueniam Euclionem, si domi est:
sed eccum uideo. nescio unde sese homo recipit domum.

In Bacchidibus post v. 523 Pistoclerus adulescens his usus verbis domo Bacchidis progreditur (v. 526—529):

rebus aliis anteuortar, Bacchis, quae mandas mihi:
Mnesilochum ut requiram atque ut eum mecum ad te adducam simul.
nam illud animus meus miratur, si a me tetigit nuntius,
quid remoretur. ibo ut uisam huc ad eum, si forte est domi.

Interea Mnesilochus advenit. Pistoclerus, ubi eum conspexit, dicit (v. 532):

estne hic meus sodalis?

et cum eo colloquium incipit. In Curculione Lyco et Curculio domum lenonis ire volunt. Sed cum leno ipse domo exeat, illi domum intrent necesse non est. Lyco rursus haec verba facit (v. 455):

atque eccum uideo. leno, salue.

Initio Captivorum Ergasilus parasitus apparet, ut domum Hegionis se conferat. Postquam a v. 68 usque ad v. 109 secum locutus est, in aedes intrare vult. Sed eo ipso temporis momento poeta Hegionem exeuntem facit. Ergasilus hac in re ea facit verba, quibus in tali re personas uti saepe videmus (v. 108):

nunc ad eum pergam. sed aperitur ostium.

In Casina post v. 143 Cleostrata, Lysidami uxor, progreditur, ut Myrrhinam vicinam conveniat. Cum illam ipsam egredientem conspiciat, admirationem suam his usa verbis exprimit (v. 163—164):

sed foris concrepuit, atque eapse eccam egreditur!
non pol per tempus iter huc mi incepi.

Eo quod utraque in platea remanet, spectatores colloquio earum interesse possunt. Eadem in fabula Lysidamo ab uxore haec mandantur (v. 586):

> i tu atque arcesse illam. ego intus, quod factost opus,
> uolo accurare, mi uir.

Lysidamo domum vicini intraturo Alcesimus ipse obviam fit haec dicens (v. 591—593):

> uiso huc, amator si a foro rediit domum,
> qui me atque uxorem ludificatust larua.
> sed eccum ante aedis. ad te hercle ibam commodum.

Eo modo efficitur, ut unus locus teneatur. Eandem rationem adhibitam in Menaechmis invenimus. In ea quoque fabula parasitus Peniculus scaenam ingreditur, ut apud Menaechmum cenam adipisci conetur. Menaechmus eo momento, quo parasitus domum ingressurus est, prodit. Parasitus similia verba dicit atque supra (v. 108—109):

> nunc ad eum inuiso. sed aperitur ostium.
> Menaechmum eccum ipsum uideo, progreditur foras.

Peniculus iterum post v. 445 scaenam introit, ut ad Erotium et Menaechmum intret. Menaechmus cum hoc quoque loco prodeat, Peniculus haec verba facit (v. 462—463):

> ibo : etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum.
> sed quid ego uideo? Menaechmus cum corona exit foras.

In Mercatore Demipho, qui post v. 543 in scaenam processit, domum vicini Lysimachi intrare vult. Poeta ut id prohibeat, illum iam antea domo progredientem facit. Demiphonem autem haec loqui audimus (v. 559—61):

> sed hunc uicinum prius conueniam quam domum
> redeam; ut mihi aedis aliquas conducat, uolo,
> ubi habitet istaec mulier. atque eccum it foras.

Neque aliter Eutychus, qui post v. 961 domo Demiphonis prodit, ut cum patre suo colloquatur, impeditur, quominus domum ingrediatur. Nam eo momento poeta patrem cum Demiphone advenientem fingit, ut Eutychus iure exclamare possit (v. 964):

> optuma opportunitate ambo aduenistis.

In Mostellaria Tranio ad Simonem se conferre in animo habet, ut ab eo veniam domus inspiciendae impetret. Poeta introitum prohibet eo, quod hoc momento Simonem egredientem facit. Tranio eum conspiciens haec loquitur (v. 686—87):

eugae! optume eccum aedium dominus foras
Simo progreditur ipsus.

In Persa Saturio, cum domum Toxili iturus eum ipsum prodeuntem videat, haec verba facit (v. 80):

sed aperiuntur aedes, remorandust gradus.

In Pseudolo post v. 904 Simia et Pseudolus apparent, ut dolum Ballioni struant. Simia domum Ballionis ingressurus est, cum is ipse exit. Eo modo poeta, quominus actio in aedes transferatur, impedit. In Sticho post v. 648 peregre revertitur Sangarinus. Qui quominus statim domum introeat, a poeta eo impeditur, quod hoc ipso temporis momento Stichus conservus domo exit. Quo facto colloquium incipiunt, cui spectatores interesse possunt. In Trinummo Lysiteles adulescens domum Charmidis ire vult, ut eum conveniat. Cum is domo progrediatur, Lysiteles ipse domum intret necesse non est. Neque secus res se habet, cum Philto ad Lesbonicum ire velit, ut ab eo sororem filio suo uxorem petat. Nam Lesbonicus eo momento domo egreditur. Cum is domum relinquit, Philto loquitur (v. 400—401):

sed aperiuntur aedes quo ibam: commodum
ipse exit Lesbonicus cum seruo foras.

In Truculento Diniarchus his verbis usus domum Phronesii se collaturus est (v. 850—851):

at ego ab hac puerum reposcam, ne mox infitias eat;
nihil est, nam eapse ultro, ut factumst, fecit omnem rem palam.

Sed nunc Phronesium ipsa domo egreditur, qua re Diniarchus adducitur, ut ita pergat (v. 852):

sed nimium pol opportuna eccam eapse egreditur foras.

Ut exempla, quae in fabulis Terentii inveniuntur, omittamus — similia enim sunt exemplis Plautinis —, in Samia Menandri Demea senex in animo habet e Parmenone servo quis pater sit infantis quaerere. Postquam soliloquium finivit, poeta Parmenonem a foro redeuntem facit, ut rursus illa verba audiamus (v. 65—67):

ἀλλ’ εἰς καλὸν γὰρ τοῦτον εἰσιόνθ’ ὁρῶ
τὸν Παρμένοντ’ ἐκ τῆς ἀγορᾶς · ἐατέον
αὐτὸν παραγαγεῖν ἐστι τοῦτον οἴκαδε.

Eo quod Demea servum in platea retinet, scaena quae sequitur coram spectatoribus peragi potest. Post v. 270 Moschion adulescens scaenam init. Consilium capit patrem suum perterrendi

simulans se patriam relicturum esse. Quominus domum intret, ut ibi consilium exsequatur, poeta eo impedit, quod Parmenonem in scaenam procedentem facit. Moschion, cum servum conspicit, rursus haec verba facit (294—95):

ἀλλ' οὑτοσὶ γὰρ εἰς δέοντά μοί ποθεν
καιρὸν πάρεστιν ὃν μάλιστ' ἐβουλόμην.

§ 12.

Praeterea poeta efficit, ut actiones quae iam semel, sed non in scaena gestae sunt, in scaena denuo agantur, ut spectatores eas videre possint.

Nam in Captivis Plautinis Philocrates et Tyndarus custodem orant, ut secreto se colloqui patiatur. Sed in hoc colloquio denuo eadem consilia conferunt, de quibus iam antea locuti sunt, ut docent verba Philocratis (v. 224—28):

nam si erus mihi es tu atque ego me tuom esse seruom adsimulo,
tamen uiso opust, cauto est opus, ut hoc sobrie sineque arbitris
accurate agatur, docte et diligenter;
tanta incepta res est: hau somniculose hoc agendum est.

Etiam hoc loco poeta nihil aliud nisi spectatores consilium captivorum comperire voluit. In Milite Glorioso post v. 873 Periplectomenus duas mulieres quae iam vestem mutaverunt, in plateam deducit. Cum haec verba Periplectomeni (v. 874—77):

rem omnem tibi Acroteleutium, tibique una, Milphidippa,
domi demonstraui in ordine. hanc fabricam fallaciasque
minus si tenetis, denuo uolo percipiatis plane;
satis si intellegitis, aliud est quod potius fabulemur

doceant, illas iam dolum novisse, mirum nobis videtur, quod Periplectomenus, quamquam nulla re cogitur, mulieres foras educit. Sed eis quae sequuntur mira res explicatur. Nam Palaestrio qui supervenit e mulieribus denuo copiose quaerit, utrum dolum accurate noverint necne. Atque poeta laudandus est, quod aptissime eas iterationes rationibus excusare scit. Eo modo poeta efficit, ut spectatores illi scaenae intersint[1]). Qua cum re convenit, quod Acroteleutium et Milphidippa eis rebus factis in aedes reducuntur, quoniam nunc in scaena

---

[1]) De quo loco recte iudicat Geppert, Plautin. Studien, Berlin 1870, p. 73.

necessariae non sunt. In **Pseudolo** Ballio post v. 132 cum servis domo prodit, ut eis labores imperet. Quamquam mirum videtur, quod ad id faciendum in plateam prodit, et quamquam eadem iam heri imperavit, ut demonstrant v. 148—150, tamen poeta consulto fecit, ut spectatores huic scaenae facetiarum plenae interesse possint. In **Rudente** post v. 1264 Trachalio cum Plesidippo advenit, quem arcessere a Daemone iussus est. Consentaneum est Trachalionem adulescenti iam narravisse omnia in meliorem partem mutata esse. Id factum est. Sed ubi primum uterque scaenam iniit, poeta Plesidippum haec dicentem facit (v. 1265—67):

> iterum mihi istaec omnia itera, mi anime, mi Trachalio,
> mi liberte, mi patrone potius, immo mi pater:
> repperit patrem Palaestra suom atque matrem?

Tantum abest, ut celeriter ad Palaestram suam contendat, ut ante aedes eadem, quae iam novit, iterum quaerens cunctetur. Neque tamen poetam in ea re vitupero; nam egregie depictus est animus amatoris, qui faustum illum nuntium audiendo satiari non possit. Simile exemplum idque gravissimum in **Truculento** invenimus. Nam post v. 744 Callicles duas ancillas vinctas foras educit haec verba faciens (v. 775—779):

> egon tibi maledicam aut tibi † adte male uelim: ut animus meust,
> propemodum expertae estis quam ego sim lenis tranquillusque homo.
> rogitaui ego uos uerberatas ambas pendentis simul;
> commemini, quo quicquid pacto sitis confessae scio;
> hic nunc uolo scire eodem pacto sine malo fateamini.

Postquam igitur iam semel ex illis quaesivit, in scaena quaestionem denuo habet. Cur poeta id facit? Cur non satis habet semel quaestionem haberi? Cum spectatores quaestioni alio loco habitae interesse non potuerint, poeta eam spectatoribus in platea denuo ante oculos ponit[1].

§ 13.

Persaepe poeta, ne scaenam mutet, efficit, ut eae personae, quae in scaena adsint necesse est, ab

---

[1]) Mos fuit Graecorum, ut de servis, si eis testimonium edendum erat, tormentis quaererent. Cf. Lysias, De Erat. § 16: *ἐὰν οὖν λάβῃς τὴν θεράπαιναν*

aliis qui iam in scaena versantur domo in plateam evocentur[1]).

Ut exemplo utar, in Casina Lysidamus et uxor eius Cleostrata inter sese disceptant, cui Casina obtingat, Chalino an Olympioni. Lysidamus dicens Chalinum se permovere posse, ut Casinam repudiet, uxorem Chalinum in plateam evocare iubet, ut cum eo de hac re loquatur. Chalinus exit. Nonne veri est similius Lysidamum cum uxore domum ire neque in platea de hac re loqui? Cum Chalinus recuset, Lysidamus haec ad eum dicit (v. 295—296):

intro abi atque actutum uxorem huc euoca ante aedis cito,
et sitellam huc tecum ecferto cum aqua et sortis.

Etiam hoc loco exspectamus Lysidamum potius domum intraturum ibique discrimen ad sortes revocaturum esse. Nam absurdum est talem rem in platea fieri. Sed rebus scaenicis coactus poeta nihil aliud facere potest. In Curculione Palinurus, cum parasitum advenientem conspiciat, statim Phaedromum erum domo evocat (v. 276):

heus Phaedrome, exi, exi, exi, inquam ocius!

Phaedromus progressus cum Curculione colloquium conserit, quod quoniam in scaena habetur spectatores audire possunt. In Epidico post v. 525 Philippa scaenam ingreditur filiam suam ab hostibus abreptam quaerens. Cui occurrit Periphanes, qui aliquando Epidauri Philippam amavit et cum ea filiam illam genuit. Periphanes ei narrat filiam quaesitam domi suae esse, cum puellam per Epidicum emptam filiam suam esse putet. Quo nuntio Philippa maxima laetitia afficitur. Itaque intellegimus eam filiam subito inventam reviscre cupere. Periphanem orat (v. 567):

fac uideam, si me esse saluam uis.

Iam si poeta Periphanem et Milphidippam ad filiam intrantes faceret, pars fabulae reliqua oculis spectatorum subtraheretur. Id prohibet eo, quod fidicina domo evocatur. In Menaechmis Erotium, quippe quae cum Menaechmo et parasito cenare velit, coquum evocat, ut eum opsonari iubeat. Idem facit postea Menaechmus I, qui uxori suae pallam se relaturum esse pro-

---

τὴν εἰς ἀγορὰν βαδίζουσαν καὶ διακονοῦσαν ἡμῖν καὶ βασανίσῃ, ἅπαντα πεύσῃ. Cf. etiam Meier-Schoemann, Der attische Prozeß ed. Lipsius, Berlin 1883—1887, p. 889 sq., ubi accuratius de ea re disseritur.

1) Cf. Langen l. c., p. 101, qui veram causam non profert. Cf. Felsch, p. 63 sq.

misit. Ut pallam repetat, domum meretricis non introit, sed eam ipsam in plateam evocat. In Trinummo, postquam Charmides filio suo Lysitele et Callicle precantibus veniam dedit, Callicles et Charmides, ut id cum eo communicent, non ad eum qui domi versatur, introeunt, sed Lysiteles Lesbonicum evocat. Ita fieri potest, ut etiam extrema fabulae pars, quae si Callicles et Charmides domum ingressi essent, in aedibus peragenda esset, spectatoribus proferatur. Neque aliter poeta se gerit in Captivis, qua in fabula in v. 977 Philocrates ab Hegione evocatur, et in Poenulo, ubi a Milphione Giddeninem nutricem domo evocari fingit, et in Rudente, ubi Gripus Daemonem evocat, ut Labraci vidulum reddat.

Quae ratio etiam fabulis Terentianis comprobatur. In Andria enim Simo, postquam Davum servum astutum constrinxit, poenam de Pamphilo filio sumere vult. At poeta Simonem non ad Pamphilum, qui domi Glycerii versatur, euntem facit, sed senex filium evocat his usus verbis (v. 871):

age Pamphile, exi Pamphile: ecquid te pudet?

Pamphilus domo exit, ut scaena non mutanda sit. Neque aliter res se habet in Hecyra. Laches enim, qui Bacchidem meretricem convenire vult, domum mulieris non intrat, sed servum illam evocare iubet (v. 719—720):

eho puere, curre ad Bacchidem hanc
uicinam nostram: huc euoca verbis meis.

Bacchis apparet, ut spectatores colloquio interesse possint.

Quam rationem etiam in novis Menandri fragmentis adhibitam invenimus. Nam in Periceiromena Pataecus cum Glycera filia non domum Polemonis intrat, ut ei filiam uxorem tradat, sed v. 358 illum domo in plateam evocat.

§ 14.

At non semper poeta hoc simplici artificio utitur et personas quae domi morantur evocari facit. Adhibet etiam aptissime alias artes, quibus facit, ut personae in scaena versantes homines qui domi morantur, conveniant scaena non mutata.

In Aulularia Lyconides cum Euclionem ante aedes aurum amissum querentem audiat, post v. 726 domo prodit haec loquens (v. 727—728):

quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur maerens?
atque hic quidem Euclio est, ut opinor.

Mirum est, quod Lyconides solus clamorem senis audit. Cur non alii, qui in propinquo habitant, domo prodeunt? Sed Lyconides solus in scaena necessarius est. In Captivis post v. 497 Hegio cum Aristophonte advenit, qui Philocratem captivum agnoscat. Tyndarus postquam utrumque domum ingressum conspexit, pavore adductus domo procurrit. Hegio cum Tyndarum intus non inveniat, cum Aristophonte exit, sed tum demum, postquam Tyndarus vehementibus verbis pavorem suum expressit. Eo quod Hegio Tyndarum domum non reducit, sed in scaena remanet, haec scaena spectatoribus in conspectum dari potest. In Cistellaria post v. 535 Lampadio apparet et in platea soliloquium habet. Quamquam ei non est, cur maiore voce quam alio tempore loquatur, tamen poeta Phanostratam domo exeuntem facit hac causa allata (v. 543—44):

audire uocem uisa sum ante aedis modo
mei Lampadisci serui.

Hoc loco clare intellegimus poetam nihil aliud voluisse nisi ut illam in scaenam produceret. In Curculione Planesium domi Phaedromi in digito Curculionis anulum militis conspexit. Quem cum anulum patris recognoscat, parasito eripere conatur. Is in plateam fugit et rem quae modo intus facta est, spectatoribus enarrat. Planesium eum persequitur et Phaedromum quoque secum foras ducit. Cum ita omnes personae in scaena adsint, fieri potest, ut spectatores scaenae gravi intersint. Qua in re id mirum esse videtur, quod Planesium Curculionem non statim in plateam sequitur. Atque poetam parasito facultatem antea illa verba (v. 591—598) faciendi dare voluisse satis apparet. In Mercatore post v. 666 Dorippa et Syra rure domum advenientes scaenam ingrediuntur. Dorippa e fiscina, quam fert, virgam lauri sumit, ut ea aram Apollinis in scaena sitam ornet; Syra autem domum introit. Sed illa cum domi Pasicompsam conspiciat, magno clamore sublato ex aedibus procurrit et erae causam terroris enarrat. In Trinummo poeta, ut Calliclem in scaenam producat, Charmidi animo male esse fingit. Qua re perterritus Stasimus tantum clamorem tollit, ut Callicles eum intus audiens domo in plateam erumpat.

§ 15.

Denique commemorandum est poetas comicos, ut etiam alios poetas scaenicos, ne scaenam mutent, adhibere personas, quae res alio loco gestas coram spectatoribus enarrent. Planum est comoediam hac in re tragoediam sequi, in qua nuntii persona permagni momenti est[1]).

In fine enim Amphitruonis Amphitruo per Iovem tanto ludibrio habitus est, ut maxima desperatione adductus in aedes irrupturus sit, ubi omnis obtruncare velit. Quo summae exspectationis momento fulgur Iovis Amphitruonem ad terram affligit. Bromia ancilla maximo terrore incitata domo erumpit et spectatoribus, quid intus gestum sit, enarrat. Postquam Amphitruonem humi prostratum conspexit et sublevavit, ei quoque omnia quae domi facta sunt copiose exponit. Atque poeta consulto efficit, ut Bromia prodiens coram spectatoribus omnia narret. Id vel ex eo cognosci potest, quod Amphitruo, ubi primum audivit uxorem commodum puerum peperisse, non statim in aedes pergit, sed exspectat, dum Bromia narrationem ad finem perducat. In Casina complura exempla huius rationis invenimus. Post v. 758 enim Pardalisca domo prodit et omnia, quae intus gesta sunt, spectatoribus exponit. Et narrationem Bromiae ancillae in Amph. v. 1053 sq. et hanc scaenam cum artificiis tragoediae arte cohaerere manifestum est. Ῥήσεις ἀγγελικαί in tragoedia persaepe adhibentur. Praeter alia exempla proferam imprimis ex Oreste Euripidea, nuntium Phrygis servi, qui clare docet viam ad comoediam ferentem iam incipi. Neque aliter in eadem Casina res se habet, cum Olympio post v. 874 prodit. Qui in platea quid domi factum sit enarrat. Sed hac in re poeta speciem rei factae eo plane neglegit, quod Olympio etiam spectatores[2]) alloquitur (v. 879—80):

---

[1]) Cf. Felsch l. c., p. 9, 42.

[2]) Graece spectatores nominantur *ἄνδρες*. Iam Aristophanes et in prologis et in fabula ipsa saepe *ἄνδρας* alloquitur. Cf. Dziatzko, Allgemeine Gesichtsp., p. 6. Sed etiam in nova comoedia hunc usum adhibitum invenimus: *ἄνδρες* appellantur Epitr. v. 408, Sam. v. 54, 114, 338, *θεαταί* Pericir. v. 51. Cf. Dziatzko l. c., p. 11. Wilamowitz, N. Jahrb. 1908, p. 41,60. Körte. Archiv f. Papyrusforsch. 1908, IV, p. 508; Hermes 43 (1908), p. 300, not. 1. Etiam in fabulis Plautinis persaepe allocutionem ad spectatores invenimus: Amphitr. v. 507, 867, 998 sq. Aulul. v. 715 sq. Bacch. v. 1072—74. Cas. v. 879.

operam date, dum mea facta itero: est operae pretium auribus accipere,
ita ridicula auditu, iteratu ea sunt quae ego intus turbaui.

In Pseudolo post v. 1245 Pseudolus ebrius a convivio redit. In aedes, quas intraturus est, non pergit, sed in scaena remanens spectatoribus quemadmodum convivium celebratum sit, multis verbis exponit. Poetam tantum spectatorum edocendorum causa Pseudolum narrantem induxisse verba eius demonstrant (v. 1282):

nunc ab ero ad erum meum maiorem uenio foedus commemoratum,

quasi dicere velit: primum vobis — id est spectatoribus — de convivio narrabo, deinde ad erum meum abibo. In Truculento post v. 644 Strabax rure adveniens in scaena exponit, quomodo sibi contigerit, ut pecuniam Phronesio meretrici dandam nancisceretur. Quam rem cum poeta spectatoribus ante oculos ponere non possit, narrari necesse est.

In Adelphis Terentianis Demea, cum poeta raptum ante domum lenonis gestum ante spectatorum oculos agere non possit, scaenam introiens totam rem Micioni narrat. At extrema raptionis pars cum ante domum Micionis geratur, in scaena fieri potest, ut spectatores ei intersint. Post v. 609 Aeschinus accurrit, qui in Cantharam incidens ab ea quantam Pamphilae suspicionem moverit audit. Id Aeschinus spectatoribus copiose narrat. In Andria Pamphilus a foro accurrens in scaena narrat patrem apud forum sibi occurrentem se domum ire iussisse. Etiam in Eunucho Dorias ancilla quae Chremetem adulescentem ad Thaidem in Thrasonis aedes adduxit, rediens convivium ibidem celebratum spectatoribus multis verbis exponit. In Hecyra vero fieri non potest, quin cum res quae in interiore domo aguntur ante spectatorum oculos poni non possint, poeta personas quae res enarrent, in scaenam producat. Itaque Pamphilus quid domi Myrrhinae viderit v. 361—414 coram spectatoribus soliloquio perhibet. Neque multo post Bacchis meretrix post v. 799 domo Phidippi exit, ubi Philumenam esse eam virginem agnovit, quam

Cist. v. 678—79. Curcul. v. 462-482. Men. v. 880—81. Miles v. 862, 1130. Mostell. v. 280—81, 708—10. Poen. v. 550—54, 597—600, 920-22. Pseudol. v. 125—28, 150, 721, 1234. Stich. v. 446—48, 673 sq., 709. Trucul. v. 106, 482. Praeterea spectatores persaepe in prologis et in fine fabularum appellantur. De qua re copiose dicit Leo, Der Monolog im Drama, p 79 sq., 117.

Pamphilus ante decem menses vitiavit. Quae omnia in scaena coram spectatoribus enarrat. Praeter ea quae attuli exempla, poeta etiam multis aliis soliloquiis utitur, ut spectatores quid alio loco gestum sit doceat. In Phormione Geta servus Phanium Chremetis filiam esse casu comperit. Qua re maximo gaudio affectus domo post v. 840 erumpit. Cum poeta effecerit, ut eodem tempore Antipho et Phormio in scaena versarentur, Getam quomodo rem invenerit illis copiose exponere consentaneum est.

In Epitrepontibus Menandri Onesimus servus post v. 398 domo proruit et spectatoribus[1]) quid intus gestum sit, fusius enarrat. Neque aliter Moschion adulescens in Periceiromena post v. 262 e domo matris prodiens quid intus acciderit exponit. Idem videmus in Samia, qua in fabula Demea senex quid domi factum sit, in platea spectatoribus enarrat.

§ 16.

Huc pertinet etiam ea ratio, qua poeta utitur, ut spectatores de eis rebus, quae alicubi geruntur edoceat. Personae enim, quae e scaena rem, quae alicubi fit, videre possunt, eam, dum geritur, spectatoribus exponunt. Quam rationem ab aliis quoque poetis saepe adhibitam τειχοσκοπίαν nominamus.

In Bacchidibus[2]) Chrysalus, ut Nicobulo filium cum meretrice potantem ostendat, Artamoni servo haec imperat (v. 832—34):

agedum tu, Artamo,
forem hanc pauxillulum aperi; placide, ne crepa;
sat est. accede huc tu. uiden conuiuium?

Nicobulus quae in aedibus meretricis conspicit magna voce narrat, quare fit, ut etiam spectatores id comperiant. Gravissimum exemplum etiam Rudens fabula praebet. Initio enim fabulae versantur in scaena Daemones, Sceparnio, Plesidippus inter sese colloquentes. Subito Daemones oculos in mare convertens haec exclamat (v. 148—149):

pro di inmortales! quid illuc est, Sceparnio,
hominum secundum litus?

Ea quae praeterea in mari fiunt, magna voce tres homines ita explicant, ut spectatores omnia intellegere possint. Vix Plesi-

---

[1]) V. 408 etiam spectatores alloquitur.

[2]) Cf. Dörpfeld-Reisch l. c., p. 268.

dippus post v. 159 abiit, cum Sceparnio conspicit duas mulieres, quae in scapha sedentes fluctibus agitantur. Concitatis verbis naufragium mulierum tam vive depingit, ut quasi spectatorum oculis, quae in mari geruntur, subiciat.

Quibus rebus expositis satis docuisse mihi videor, quas artes poetae novae comoediae ad unitates et temporis et loci observandas adhibuerint. Quibuscum si quae Felschius invenit comparamus, facere non possumus, quin artificia et in tragoedia et in nova comoedia adhibita maxima ex parte eadem esse confiteamur. Hac in re igitur novam comoediam plane a tragoedia pendere concedendum est. At vetus comoedia nihil fere cum his artificiis commune habet, quippe in qua ut rei factae species ita unitates loci et temporis plerumque neglegantur.

Vita.

Natus sum Aemilius Polczyk a. d. IV. Kal. Dec. anni 1884 in Silesiae superioris vico, cui nomen est Schoppinitz, patre Augusto, matre Francisca e gente Filius, quos ambos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fide institutus sum catholica. Primordiis litterarum imbutus gymnasium Kattowitzense adii, unde vere anni 1905 maturitatis testimonium adeptus nostram almam matrem Vratislaviensem petivi, ut studiis philologicis operam darem. Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Cichorius, Drescher, Ebbinghaus, Foerster, Hoffmann, Jacoby, Koch, Kühnemann, Muther †, Siebs, Skutsch, Stern, Wendland, Zacher †.

Seminariorum philologici, archaeologici, historici, philosophici sodalis fui ordinarius moderantibus *Foerstero, Skutschio, Wendlandio, Cichorio, Baumgartnero, Kühnemanno.*

Quibus omnibus viris debitam iustamque gratiam habeo semperque habebo, in primis *Foerstero*, qui studia archaeologica mea cum comitate fovit; omnium autem maxime *Skutschium*, liberalissimum huiusce operis et studiorum meorum fautorem pio gratoque semper colam animo.

Theses.

I. Hautontimorumenon contaminatam esse e prologo concludi necesse est.

II. Plautum tempus nocturnum in scaena non repraesentavisse nisi signis quibusdam et verbis e Curculione et Amphitruone fabulis concludendum est.

III. Scaenam Plauti et Terentii aulaeo caruisse fabulis illorum demonstratur.

IV. In Livii Ab urbe condita XXVII 45,3 ut pars codicum praebet, ita legendum esse censeo:

eos ipsos, quantumcunque virium momentum addiderint, rem omnen inclinaturos.

V. In Auctore ad Herennium IV, 9 lectio codicum:

eo quidem isti minus facile, conarentur, quod illi quemadmodum descissent videbant

non habet, cur mutetur.

VI. Im amphorae Monacensis 805 (Furtwängler - Reichhold, Griechische Vasenmalerei, tab. 98) media parte Laërtes adulescens sponsam suam Anticleiam comitibus ostendens et a sene Autolyco quis sponsam compresserit sciscitans conspicitur; e mulieribus altera Anticleia ipsa, altera mater eius Amphithea est filiam consolans.

VII. In vasculo Monacensi 745 (Furtwängler-Reichhold, tab. 16) in aversa parte mulierem esse volo Marpessam, non Iunonem vel Latonam, ut Furtwängler interpretatur.

VIII. In gymnasiis artis antiquae disciplinam institui oportet.